



Genuat. con. Sylmij
 Iurimico
 Figin
 phitoni
 Fey
 Demostheny
 Lualis
 Apulei
 Catullus
 Symonidi
 Vindis
 Catulle mator. p. 100
 Plutarchy
 Demostheny
 Fabre m. p. 1
 Plutarchy
 Plutarchy

EX LIBRIS
 ILLUSTRISSIMI VIRI,
 DN. DAN. LVDOLPHI,
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
 STATUS INTIMI, cetera,
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
 TESTAMENTO RELICTIS.

La 29



Adm. Sylm

Doctrina p[ro]bat[ur] ^{argenti} nobilitate[m] ante[m]

principium p[ro]m manu[m] l[ite]ra[m] est

quam si ip[s]i attigerit, nec san[ct]o

g[ra]tiam suo p[ro]stat; t[ame]n non

mirari debet, cum in alijs, ut

debet: q[uo]d ip[s]a qua[m] p[ro]p[ri]a

sermone[m] p[ro]stat, t[ame]n d.

Agustinus lib. de doct[ri]na Ch[ri]stiana

capitulum p[ri]mum de p[ro]p[ri]a

T[er]m[in]o h[ab]ent.

Th[om]as, mag[ist]er

quod dicitur

Adm[in]istrat[i]o[n]e[m] p[ro]p[ri]am

h[ab]ere p[ro]p[ri]am

INTRODVCTIO
AD LECTIO-
NEM CICERONIS,
ET ALIORVM MORATO-
rum fructuosiore[m] & dextero-
rem, pertinens ad specialem
partem Systematis
Rhetorici.

Priuatim tradita in Gymnasio Dantiscano,

à V. Cl.

BARTHOLOMÆO KECKER-
MANNŌ Philosophiæ ibidem Professore.



*Hanno
Kistner*

HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium,
MDCX.

27

Cum gratia & privilegio S. Cæs. Maiest. ad decennium.

*Compagnon et
Socius typographica pydém*

KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZVHALLE



LECTORI S.

Vix est studiorum orbis,
Lector benevole, sed is pro
scopo cuiusque versatur va-
riè, ita tamen, ut eam per-
petuo tenere oporteat partem, ad quam &
rerum cognitio, & cognitorum apta ac
concinna elocutio nos conuerterit. Hi-
nim duo sunt isti, intra quos voluitur car-
dines, & quos extra omnis nostra in stu-
diis peregrinatio, devia est & miserabilis.
Rerum quod attinet scientiam, ea tum
præceptis informatur, tum usu. Præcepta
tot ac tam multiplicia omnium nunc di-
sciplinarum exhibentur, ut iurare ausis,
ullo mundi seculo, nec plura, nec tam di-
uersa rerum & authorum extitisse monu-
menta, quam hoc nostro, nimirum vult
DEVS immortalis scientiæ Aedem vni-

cuique esse latissimè adaper tam, ac mundum reddere inexcusabilem, ne quisquam ad asylum ignorantiae cogatur confugere. Nec frustra coniectaneum est, his ipsis temporibus aut otium in neglectu, aut in delectu negotium rerum obstare cognitioni, qui plerumque inter plura difficilis, dum huc illuc fluctuat cogitatio, nec ubi consistat, facile reperit. Verum delectui huic medetur Doctorum dexteritas, ac maturitas iudicii; quâ fit, ut reliquis procul habitis, seligamus ea quae sunt optima, ac nobis non mediocriter profutura. Eloquentiam verò si introspicias, certum est & præcepta eius, & usum apud omnes ferè gentes firmiter hodie inualescere, cum eas id unice videas agere, ut linguis dedita tersè ac eleganter sermonem forment, & eo ipso sese hominum societati insinuent. Hunc eius usum cum aliis iuratum multi intellexerunt, qui Eloquentiae præcepta foràs certatim prodiderunt.

intellexit

LECTORI S. 5

intellexit & vir Clarissimus BARTHOLOMÆVS KECKERMANNVS
Præceptor colendus, qui SYSTEMA
RHETORICVM diuturno labore col-
lectum, tandem in publicum studiorum
sinum effudit, & methodicâ præcepto-
rum concinnitate commendavit, ut fa-
teri necessum sit, hoc uno nos, verbo di-
cam, Rhodum saltare. Id saltem & ipse
& alii desiderabamus, ut certa nobis su-
peresset instructio, quâ ORATIONES
CICERONIS & aliorum, ac etiam E-
PISTOLAS dextrè evolueremus, evo-
lutas Locisque Communibus enotatas,
in nostrum postea promeremus usum;
quam lubens petitionem præstitit, & re-
creatus paulisper à graui morbo, nobis
priuatim ea legit, quæ tuis iam vides, Le-
ctor beneuole, obuersari oculis; tu tan-
tam viri agnosces facilitatem & gra-
tiam; meo autem, si malè iudicas, igno-
sces amori, qui tuo hæc bono publicaue-

A 3

6 LECTORI S.

*rim ; sin contrà, tibi habeto, fructum
quem alii ceperunt, spondeo. Dabam
Francofurti ad Mœnum, Anno 1609.
20. April. in portu itineris.*

DAVID SCHVMANN D.

INTRO.



INTRODVCTIO AD
ORATIONES CICERONIS
CVM FRVCTV LEGENDAS,
certis Aphorismis tradita.

Cum experientia me docuerit, multos multum temporis consumere in Orationibus Ciceronis legendis, nec tamen eum inde, quem poterant reportare fructum; idcirco doctrina pretium fore existimaui, si Aphorismis aliquot ostenderem, quomodo Orationes Ciceronis breui tempore cum magno Eloquentia fructu, ab iis qui ad Historica & Politica studia mature prosperare debent, legi possint.

2. Partiemur autem introductionem hanc duobus capitibus; quorum priori monebitur, quando ad Cicerois lectionem accedendum sit, & quibus. Posteriori vero, quomodo Cicero, & eius imprimis orationes legenda, & ad imitationem atque usum adhibenda sint.

CAPVT PRIVS,

Quando & quibus Cicero legendus.

1. *Formatio styli duplex est, nempe Grammatica & Rhetorica.*

2 Grammatica formatio styli est, quâ id agitur, ut Grammaticè, i. e. congruè & natiuè Latinum sermonem proferamus aut scribamus. Congruè, i. e. ita, ut ne peccemus in regulas vel Etymologia, vel Syntaxeos. Propriè & natiuè, i. e. ita ut voces simplices tum coniunctæ, siue phrasæ, inuenta & probatæ sint à gente Latina; neque iis admisceamus voces aut phrasæ heterogeneas siue idiotismos, aut nostræ gentis in qua nati sumus, aut alterius gentis cuius linguam didicimus & amamus; siue ea sit Italica aut Gallica, aut quæuis alia. Ut enim qualibet gens habet proprium suum sermonem, ab aliarum gentium sermonibus distinctum; ita quoque habet istius sermonis proprias partes, quæ sunt, 1, voces simplices, 2, vocum simplicium combinatio, siue phrasis.

3 Qui autem propriè & natiuè scribit Latine aut loquitur, idem loquetur & scribet eleganter, nempe quoad elegantiæ grammaticam. Est enim duplex in quolibet sermone elegantiæ: Prior ex natiuo colore sermonis, sine ulla arte, nempe, quæ sit alia quam Grammatica. Altera elegantia est ex arte Rhetorica, quæ nempe non consistit in vocum simplicium & coniunctarum natiua proprietate, sed potius in assumpto & ascititio ornatu, troporum; figurarum, & numerorum, siue periodorum.

Sicut
 Etiam in methodo delectandi
 In scriptis Cæ. Strabonij

AD ORAT. CICERONIS. 9

Sicut homo duplicem habet elegantiam, vnam secum natam, alteram autē vestibus auro & gemmis quæsitam. Ita & sermo siue lingua habet duplicem istam elegantiam, quam diximus. Vnam ex ipsa origine & natura sermonis, atque adeo ex consensu & impositione gentis istius, quæ huius sermonis author est. Et hæc elegantia ab iis possideri potest, qui nullam vnquam Rhetoricam viderunt aut attigerunt. E. g. Puer aut adolescens, qui nullam vnquam Rhetoricam didicit, propriè & natiuè potest loqui Germanicè vel Polonicè; ita vt dicas istum puerum eleganter loqui. Altera vero elegantia non est ex natura & essentia sermonis, sed extrinsecus accedit ad sermonem, & assumitur ex arte Rhetorica, instar vestis vel gemmæ alicuius.

4 *Quod ergo ad priorem elegantiam, quam Natiuam aut Grammaticam appellare possumus, ea vt re ipsa distinguitur ab elegantia assumpta, siue Rhetorica; ita quoque alio tempore & alia etate quærenda & sectanda est; & quidem ea etate, quæ nondum habeat temperamentum corporis & ingenii eiusmodi, quod sit aptum ad iudicium in Logicis & Rhetoricis informandum.*

5 *Illam autem etatem consistit intra annum ætatis, 14. in nonnullis, in tardioribus, intra annum 18. intra enim hos annos sanguis & spiritus, atq; adeo cor & cerebrum, nimis humidum est & calidum, vt nec satis firmas, nec satis len-*

tas cogitationes formare possit; sed magis aptum sit ad res, signa & notas, siue verba & sermonem memoriae imprimendum, quam ad iudicandum de rebus ipsis, aut de normis & instrumentis rerum, quae in Logica & Rhetorica traduntur.

6 Hoc ergo tempore & his annis lingua Latina discenda foret, quoad primam illam elegantiam.

7 Et quia intelligendi initium homo ducit à sensibus, & quia etiam ista aetas magis sensu quam intellectu utitur, ideo sensualia in ea aetate maxime proponenda sunt. Sensualia dico & familiaria: quia omnis nostra institutio naturam sequi debet. Naturae autem ordo is est, ut procedat successiue à facillimis, siue familiarissimis (quod enim cuique familiare est, id etiã facile est; quia consuetum est) ad difficiliora siue grandia, & minus familiaria, minusque sensualia.

8 Sensualia vero & familiaria sunt 1, Colloquia; 2, Comœdiae, quae sunt quasi duplicata, aut quasi triplicata colloquia; 3, Epistolae de familiarissimis rebus, & sine artificio scriptae; 4, Fabellae.

9 Itaque secundum naturam instituentur illi in lingua Latina, quibus ista quatuor primò omnium proponuntur, quique adeò ex sensu, & secundum sensum, formant sermonem ac stylum

AD ORAT. CICERONIS. II

lum suum; utpote qui sermo & stylus ex sensu primo omnium oritur, & secundum sensum, conformandus est prius, quam conformetur secundum intellectum.

10 Atque ista quidem est styli recte formandi prima periodus, habens pro scopo Grammaticam elegantiam, siue proprietatem sermonis Latini, pro obiecto res sensuales, pro medio Latinos autores, qui sensualiter scripserunt, atque adeo maxime sensui seruiunt: tum rebus ipsis quotidianis ac familiaribus, quas tractant, tum modo confirmandi sermonis, siue modo scribendi, qui sensui accommodatus sit, & brevis, ut in memoriam facile influat; nec utatur circumductionibus & periodis amplioribus, atque artificiose constructis.

11 Ex quo intelligi potest, ad hanc primam styli periodum, quae intra annum 14 aut 15 continetur, Ciceronem non esse aptum, atque adeo legendum non esse, nisi quoad Epistolas, quasdam familiarissimas & breuissimas; quae post Colloquia & Comedias legi debent, sub ipsum finem huius primi styli periodi.

12 Nam primo Cicero in suis scriptis, non ita familiariter sensibus seruit, nec talia tractat, quae solo sensu pueritiae aut adolescentiae intelligi possunt, ideo stylus eius non ita influit in memoriam & animum istius aetatis.

13 Nimirum valde errant, qui existimant, sermonem & stylum recte formari posse sine rerum cognitione, siue verba posse disci sine rebus. Etenim verba sunt signa rerum, itaque res & verba sic se habent vt relatum & correlatum: vt ergo vanus labor est, sine Relato velle intelligere correlatum, cum relata sint simul naturâ & notitiâ; ita inanis est opera & conatus verborum à rebus separandorum, atque adeo comprehendendarum, tum vocum simplicium, tum coniunctarum, siue phrasium, sine comprehensione & cognitione rerum istarum, quæ istis vocibus significantur. In summa, verba nunquam intelliget aut ad usum loquendo scribendoque transferet, qui non capit res istis verbis significatas. Pendent verba à rebus vt umbra à corpore, atque adeo pendet etiam stylus, qui est verborum conformatio à rerum sermone isto significatarum captu atque intellectu. Quare cum res à Cicerone traditas in Officiis vel alibi, prima ista ætas capere non possit, valde preposterum mihi videtur, quod ad stylum formandum, atque adeo ad capiendum sermonem istarum rerum, iusmodi scripta Ciceronis, huic ætati proponantur.

14 Accedit etiam hoc, quod Cicero non naturali quodam ductu sermonem suum formauerit, vt quidem fit in colloquiis & comædiis, sed cura quadam

quadam sollicita, & artificii Rhetoricis, adeoque partes istius sermonis siue membra & periodos confinxerit ac concinnarit secundum leges artis, quæ omnia repugnant primæ ætati, & primæ formationi styli.

15 Etenim prima omnis ætas maximè naturaliter loqui & scribere vult. Naturalis autem loquela non patitur se constringi, legibus membrorum & periodorum, prout videmus colloquia & comædias, non habere vlla eiusmodi artificia membrorum aut periodorum; qualia sunt apud oratores, & quando cum aliquo familiariter colloquimur, nunquam attendimus ad membra aut periodos.

16 Sanè qui authorem aliquem cum fructu legere & imitari velit, eum oportet animū suum quam maxime conformare ad authoris istius animum, talesque inter legendum cogitationes concipere, quales iste author habuit inter scribendum: Ideo enim legimus authores bonos, ut iis quàm simillimi euadamus, & talia in nostra mente artificia paremus, qualia illi habuerunt in sua. Cum ergò prima ista ætas artificia ista Rhetorica non capiat, quæ Cicero capere potuit; cumque adeo alienissimum sit ab adolescente aut puero requirere, ut ipsius animus Ciceronis animo sit quàm simillimus, ideo alienum etiam & inconsideratum est, Ciceronem imitandum

isti etati proponere, quæ nimirum etas ista artificia Ciceronis, quibus inter scribendum usus est, intelligere nequit.

17 *Quapropter meum hoc est consilium, ut institutio atque adeo stylus eius adolescentis, qui est infra annum 14 aut 15, conformetur per familiarissimas familiarissimarum rerum notas, quales sunt in colloquiis, comædiis & fabulis veterum ac recentium authorum, habentium stylum Latinum, istis rebus conuenientem.*

Nam si quis profiteatur, se colloquia aut comædias aut fabulas scribere, & interim vratur stylo grandi & sublimi, is pileum pedibus, & cothurnum capiti accommodat. Si quis autem obiter quærat, *An solummodo adolescens intra hoc tempus id agere debeat, ut stylum familiarissime formet?* Ei respondeo, me hinc ex professo non tractare de tota institutione adolescentis, de qua quid sentiam, scio, & alibi fortasse, Deo dante, vberius exponam. Interim id breuiter hinc moneo, iudicium de eo, quid præterea puer aut adolescens intra hunc ætatis terminum discere debeat, faciendum esse primò ex natura & ingenio adolescentis; deinde ex scopo, atque adeo in iis, & in quibus & ingenium & scopus talis est, simul implantandum esse stylum, siue sermonem familiarem Græcum, itemque prima rudimenta Hebrææ linguæ, & vtendum esse multis operis ac studiis excitatoriis, vt est Arithmetica, aliquid in Geometricis, Musica; corporis item ad proportionem & robur confirmandi exercitia.

18 Prima styli periodi sic decursa, accedendum est ad secundam periodum, quae meo quidem consilio, à rebus incipere debet, & à rerum cognoscendarum instrumentis in arte Logica traditis.

19 Ratio autem cur auspiciam secundae periodi fieri debeat ab arte Logica, ex superioribus intelligi potest; quia nempe verba & res se habent correlatiue, ita ut alterum sine altero, nec esse possit, nec percipi & cognosci perfecte: Neque enim fallit illud Axioma Philosophicum: Sicut se habent res in esse, ita etiam se habent in cognosci: Siue, quilibet ita cognoscitur pro ut est. Iam autem verba tam simplicia quam coniuncta, i.e. stylus sine rebus nihil est, cum sit nota rerum, ergo etiam stylus, seu lingua Latina recte & bene disci ac formari non poterit sine rebus. Hinc videmus neminem stylum maturum habere, nisi iam maturescente aetate & iudicio siue rerum cognitione iam acquisita. Videmus etiam eos, qui res non discunt, stylum habere ridiculum & inaniter ac tediosè redundantem, nullaque laude dignum. Ut taceam, quod pulcherrima quaque styli & ornamenta, & Metaphorae ac tropi pendeant à rebus ipsis, à quibus metaphorae ducuntur; quas res nisi quis intelligat mediocriter, metaphoras istas non intelliget, & per consequens, nec recte usurpabit.

20. *Artem igitur Logicam tanquam rerum cognoscendarum instrumentum & normam sub ipsum initium huius secundæ periodi, disci accuratè velim, tam quoad præcepta, quam quoad usum; & interea dum Logica discitur, styli studium secundarium esse potest, ut nempe à prandio pergamus in legendis authoribus sensualibus, quos supra nominavi, & simul in Historicis aliquot, qui stylum habent familiarem. Nam Historiæ quoque sunt sensuales res, & propter stylum legi possunt, etiam sub finem primæ periodi, & sub initium secundæ. Quamvis tamen ista cautio notanda sit, ne arripiamus Historicos istos Latinos veteres, Liviū, Tacitū, & grandioris styli alios, imò nec ipsum adhuc Salustium, sed Iustinum inter veteres solum, & inter recentes Sleidanum imprimis, familiarissimæ Latinitatis authorem, & Chytræi historias, ut & Ioviū, quem valde commendo, & inter scriptores Polonos Herbortum. nam Cramerus non ita familiari stylo usus est, atque ob id nec accommodatus huic instituto.*

In primis in hoc genere commendo Iovium, cuius stylus elegantem quâdam ac terfam mediocritatē habet. Nemo enim feliciter studebit, nisi habeat exercitationem & delectationem; & hoc faciunt Historici.

21. *Studio Logico absoluto, omnino sua serim Philosophiam Practicam ad manus sumi, quoad primam, nempe eius impressionem, ut videlicet generaliter cognoscas Ethicam, Oeconomicam & Politicam, non diffundendo animum ad varios authores, nec accuratè & absolutè ista tractando*

Etando, sed, ut dixi, primâ impressione saltem animum imbuendo istis rebus. Ad quod institutum, spero, valde conducent Theses nostræ Ethicæ, Oeconomicæ & Politicæ; utpote in quibus prima & generalissima Methodus totius Philosophiæ Practicæ adornata est, atque adeo compendiosissimum Systema traditum, Ethicæ, Oeconomicæ & Politicæ disciplinae. Hoc ergo Systemate breuissimo, siue his thesibus ter diligenter perlectis, legi etiam possunt problemata Thesibus addita, ut ita impressio quaedam sit ulterior rerum & questionum Ethicarum, Oeconomicarum & Politicarum. Ratio autem cur statim à Logica ducam styli studiosum ad res Philosophiæ Practicæ primâ impressione comprehendendas, ista est; quia stylus maturior, qui hic queritur in hac periodo, pendet à rebus, ut ante probauimus: 2, quia artis Logicæ usus dexter & plenus haberi non potest, nisi in materia circa quam Logicus occupatur: ista autem materia, sunt res ipsæ, ita ut oporteat habere aliquam rerum impressionem, si perfectum Colophonem studio Logico & eius usui imponere velis. 3, Quia in hac secunda atate & periodo styli Rhetorica requiritur, ut paulo post patebit. Rhetorica autem non tantum ars est, sed & prudentia, & per consequens, requirit aliquam rerum cognitionem, nec rectè exerceri Rhetorica

potest & Eloquentia studium, nisi tractentur orationes de rebus. Orationes autem de rebus feliciter tractari non possunt, nisi aliquam habeas rerum impressionem. Denique in hac secunda Periodo legendus est Cicero. Cicero autem intelligi non potest, nisi Ciceronis res intelligantur.

Cur autem, dicat aliquis, vis initium fieri à rebus Practicis? Resp. propter has rationes. 1, quia res Practicæ sunt viciniore sensui, & quotidie à nobis obseruari possunt, qui nempe videmus aut audimus exempla virtutum aut vitiorum, videmus & audimus quid agatur in familiis domesticis, quid item in pagis, in vrbibus, in prouinciis. Et est natura hominis nouitatis auida, ferturque ad res nouas quæ in mundo fiunt percontandas; noua autem quæ audimus, quotidie sunt vel Ethica, vel Oeconomica, vel Politica, ita vt Practicas istas res facile homo comprehendat.

Altera ratio est, quia Rhetorica longe plus habet commercii cum Practicis, quam cum specularinis: ita vt tota Eloquentia præcipue dominetur in Ethicis, Oeconomicis & Politicis materiis, vtpote quas hominibus persuadere volumus, & in quibus solis affectus moueri possant. Denique Cicero in suis scriptis, nihil fere habet speculatiuum, sed meras res Ethicas aut Politicas, & subinde etiam Oeconomicas.

22 *Et quia prima impressio Philosophia Practica, ad locos communes Practicos disponendos, ideo, anequam ad Ciceronem legendum accedimus, locos Practicos dispositos habere debe-*

mus,

mus, quod quidem iam sine accurata impressione fieri poterit, postquam per Dei gratiam Tituli Methodici Practici iam descripti & praescripti sunt studiosis.

23 Prima impressione Philosophiae Practicae facta, & locorum communium Titulis per volumina scriptis, accedatur ad Rhetoricam; cuius artis praecipua systematicis ter breuiter perlectis, simulque tribus dispositionibus & orationibus secundum illa praecipua adornatis, accedendum statim est ad locos communes Rhetoricos concinnandos, tam ad usum Orationum, quam ad usum Epistolarum, secundum eum modum & formam, quam in Syst. Rhetor. praescripsimus.

24 Quo facto, legi potest Ciceronianus Rami, in quo de Ciceronis Eloquentia eiusque acquisitione, deque dispositione & ordine librorum eius, adeoque de curriculo praestantissimi oratoris utiliter tractatur.

25 Ciceroniano hoc perlecto, accedatur ad ipsum Ciceronem perlegendum, idque hoc ordine, ut primò perlegantur scripta Ciceronis Dialectica & Rhetorica; incipiendo à Topicis ad Trebatiū, item de Inventionem, deinceps pergatur ad Partitiones oratorias, ab his ad libros de Oratore, inde ad librum de Claris oratoribus, denique ad librum de Oratore ad Brutum, adeoque ad praefationem Ciceronis de optimo genere Oratorum.

26 *Ab his libris propterea auspiciū faciendum est, quia habent stylum, siue dicendi genus mediocre. 2, Quia continent præcepta Logica & Rhetorica, ita, ut horum librorum lectione istas disciplinas adhuc firmiter nobis imprimere, & simul egregie dicendi facultatem excolere possimus.*

27 *Et quia in his libris, ut & in aliis omnibus Ciceronianis, duo sunt notanda, vid. verba & res. Idcirco verba quidem notabuntur sub illis Titulis Phrasum, quos unà antehac cum Titulis rerum præscripsi: ubi semper ad manum etiam esse debent Tituli Alphabetarii, ut si forte non ita cito possis, ab initio præsertim, verba ac phrasas reducere ad methodum rerum, ibi habeas adminiculum aliquod, & velut succenturiatum subsidium, quod etiam in diariis paratum esse possit; sed ita, ne te nimium assuefacias ad istam miscellaneam collectionem; sed ita ea utaris, velut pueri dum ambulare discunt, utuntur scamnis, usque dum poplitem firment.*

Prout dat intellectus, pro eo etiã memoria accipit. Vitium intellectus nunquam corrigitur in memoria:

Qui se ad eonfusam annotatiõnẽ assuefacit ille eonfusam quoque memoriã sibi comparat.

28 *Quia vero in his libris Ciceronis, quos primò legendos diximus, potissimũ continentur, non tam res ipsæ, quam rerum cognoscendarum modi, vid. præcepta Logica & Rhetorica. Ideo notatio non potest fieri primario, in Titulos locorum communium Practicorum, sed faciendã est notatio cum iudicio, & secundum iudicium*
de

de præceptis Logicis & Rhetoricis in Syst. tradidit. Sic nempe, ut videas utrum bona præcepta dederit Cicero; quod facile iudicabis ex ipsis Syst. sin bona non sint, ut sunt sanè quedam in Cicerone, reiicies ea; sin bona sint, vel plane erunt eadē cum iis quæ sunt in Systemate, & nihil facient ad eorum declarationē, & sic etiam nō opus est notare; vel erunt plane noua & utilia, in Syst. fortasse prætermissa, & sic annotabis ad ipsum Syst. Logicum vel Rhetor. secundum ordinem & capita Syst. vel denique non erunt plane noua, sed tamen conducent ad eorum præceptorum, quæ sunt in Syst. confirmationem aut declarationem, & sic itidem annotabis ad Syst. velut comment. sub præceptis Syst. E.g. De hoc præcepto sic ibi Cicero, &c.

29 Et quia præter Logica & Rhetorica in his libris occurrunt subinde aliqua Oeconomica aut Politica, ideo ista refert ad Titulorum locorum Communium, Ethicorum, Oecon. & Polit.

30 Quia vero non omnium fert vel ætas vel propositum, ut diu immorentur his libris Ciceronis, sed cupiunt ad alia contendere eius scripta, ideo poterunt esse contenti Partitionibus Oratoriis, & tribus libris de Oratore: nam hos negligere aut præterire quisquam non debet.

31 Nec vero diu immorandum est in hisce aut aliqua instituenda resolutio proluxa, sed quia Syst. Logica & Rhetor. iam habes fideliter impressa, ideo tacita resolutio & reductio Ciceronis ad illa Syst. abunde suffecerit præ omni commentario & analysi. Et præstare, si quis diligens sit, ac Logico Rhetoricog³ Syst. recte instructus, eum sex aut septem septimanarum spatium cum fructu posse peruoluere omnes istos Logicos & Rhetoricos Ciceronis libros. Et hæc est prima Ciceroniana lectio metæ.

32 Altera metæ lectio Ciceroniana constituta, est in legendis eius Orationibus: in quibus quidem iste ordo tenendus est, ut primò legantur eæ orationes, quæ à Cicerone scriptæ & habitæ sunt in iuuenili ætate, quæque adeo habent stylium laxiorem & fusiozem. Deinceps pergatur ad eas orationes, quas Cicero scripsit in ætate virili & maturiori.

33 Quo ordine autem orationes à Cicerone scriptæ sint, & quæ sint magis viriles, quàm verò iuueniles, id reperietur in vita Ciceronis, & imprimis in Ciceroniano Rami. Oratio pro Quinctio putatur esse prima, quam Cicero publicè habuit adhuc iuuenis; itaque ab ea initium fieri debet. Finis autem est in orationibus istis, quas habuit iam consul, tẽpore Iulii Cæsaris & Augusti, pro Marcello, pro Ligario, in Catilinam, item Philippicæ.

34 Et tantum quidem de ordine, quo legendæ sint orationes Ciceronis. Modus quo legi debeant; talis est: ut primò omnium secundum præcepta generalia & specialia Syst. Rhet. resoluantur accurate una Oratio iuuenilis. E. g. illa pro Quintio. Reliquæ autē orationes iuueniles non opus habebūt accurata resolutione; quia mēs præceptis Rhetoricis recte imbuta, tacitè inter legendum resoluit, & ad præcepta Rhetorica omnia reducet.

35 Nec etiam commentariis ad orationes istas legendas magnis opus fuerit: etenim si scire velis Thema illud simplex, siue factum, de quo Cicero questionem instituit, ut quidē oportet præcognoscere istud simplex, ut nēpe intelligere possis materiam & obiectum, de quo tractat Ciceronis oratio, tum utique abundè suffecerit breue istud argumentum, quod præmittit singulis orationibus Freigius: qui idem etiam loca obscuriora explicat, ita ut putem, tempus perdi; legendis prolixis Manutii & aliorū Comment. perdi, inquam, ab eo, qui debeat properare ad alia studia. Et sanè quid attinet omnia ista specialia & minuta scire, quæ Quinctius, quæ Roscius aut tutores nescio qui eo tempore Romæ egerunt, in quibus priuatim explicandis & scrupulose enodandis, Manutii & alii Commentarii sunt occupati. Nec etiam status Reipub. Romanæ ex orationibus Ciceronis disci debet,

Accessoriū
non debet
remorari
principale.

sed potius ex Historicis, & deinde ex iis Politicis, qui de Repub. Romana ex professo & magis methodice scripserunt. Nec ius Romanum ex Orationibus discendum est, sed ex ipsa iuris disciplina. Cum ergo nec priuata, nec publica res primario spectanda sint in Orationibus Ciceronis, non fuerit opus prolixis Comment. aut diuturnā immoratione.

36 Et sic quidem de modo legendi: Sequitur de modo notandi: ubi, ut ante monui, ad manū esse debēt duplices Loci communes, Rhetorici & Practici; nam qui hos locos ad manum non habet, is eo quo poterat & debebat fruētū & effectū, Orationes Ciceronis non legit; sed aut duplicat sibi laborem, ut cogatur bis legere, quod semel recte legisse sufficiebat, aut laborem sustinet, non proportionatum suo scopo, nec parientem suos effectus, atque adeo talem, qui temporis impensi pretium nullum habeat, imo qui noceat iudicio ex praeceptis Logicis & Rhetoricis formādo, & noceat reliquis studiis realibus, ad quae erat properandum; noceat denique ipse studio Eloquentiae, quod hoc tempore solis Ciceronis orationibus perfici & ematurari non potest; utpote cum in iis multa sint non accommodata nostris hominibus & ingeniis huius seculi, & statui huius Reip. in quo nos perorare debemus. Denique multa usu scholarum iam trita, & quasi profa-

profanata, ut si quis iis in publico uti velit, contemnatur & rideatur.

37 Post orationes Ciceronis ita perlectas, & per locos communes digestis iis, quae in istis orationibus occurrunt, tam quoad phrasas, quam quoad res, atque adeo quoad artificia Rhetorica, memorabiliter & insigniter scripta (nam reliqua omitti possunt, ut in consilio nostro de Locis communibus antehac monuimus) tum vero accedendum fuerit ad orationes aliquot habendas, in quibus imitatio manifesta & expressa fiat, atque adeo usurpatio eorundem illorum artificiorum, quae ex orationibus Ciceronis in Locos communes enotasti: Et illi quidem qui ad Rempub. accessurus est, omnino suaserim, ut 14 orationes ad artificia Ciceronis conformatas, scribat & habeat antequam accedat ad quartam styli formandi periodum: Ista enim artificiorum oratoriorum Ciceronis observatio, non tantum conducet ad habendas orationes Latinas, sed etiam ad quasuis alias, etiam in materna lingua: siquidem, ut ante quoque monuimus Rhetoricæ artificia non sunt stricta simpliciter ad linguam Latinā, sed in omni lingua leui quadam accommodatione facta, usurpari possunt.

38 Si quis diligens sit & assiduus, possit & lectionem orationum Ciceronis, & has 14 imitationes, quatuor aut quinque mensium spatio ab-

solvere, & ita ad lectionem Ciceronis fructuosam, in prima & secunda periodo impenderentur menses 7 vel 8.

39 Caterum non loquor hic de quavis imitatione Ciceronis 14. istis orationibus exprimenda, sed de imitatione illa initiali, quæ debet esse astrictior, ita ut sollicite & accurate premamus vestigia Ciceronis, & nostrum ingenium quodammodo inflectamus ad ingenium Ciceronis. Nam suo tempore, ubi iam est ematuranda eloquentia, instituenda fuerit imitatio liberior, accommodata magis nostro ingenio & nostro seculo, & nostro scopo: sicut suo loco monebitur. Preposterum enim est Ciceronem semper pariter & æquali modo imitari velle.

40 Exemplum orationum Ciceronianarum, partim accurate, partim cursorie resoluendarum, dabimus tum, quando absoluerimus ea, quæ de formando stylo auditoribus nostris porro communicanda duximus.

41 A secunda hac periodo lectionis Ciceronianæ, transeundum post menses 7 vel 8, ad tertiam periodum, quæ est partim in scriptis Ciceronis dogmaticis & Philosophicis, partim in Epistolis.

42 Dogmatica & Philosophica scripta Ciceronis sunt vel Ethica, vel Politica.

43 Ethica scripta sunt hoc ordine legenda: 1, Officia diligenter evolvantur: 2, Libri Tusculanarum

narum

narum questionum. 3, de Finibus bonorum & malorum: 4, Dialogus de Amicitia, & denique Paradoxâ.

44 Politica scripta Ciceronis paucula extant, præter Somnium Scipionis, qui liber putatur 6. De Rep. Adiungi possunt fragmenta ex lib. de Rep. quæ eis operibus adduntur.

45 Libri de natura Deorum & de Divinatione ultimò legi possunt ab eo, qui volet, in quibus libris sunt partim Theologica, partim Pneumatologica, pertinentia ad disciplinam de Spiritibus, partim denique Physica.

46 Leguntur autem hæc scripta etiam partim propter verba, partim propter res, ita ut quicquid in rebus memorabile, in verbis ac phrasibus insigne occurrit, notandû sit ad tit. locorum Ethic. Oeconomic. & Politic. quæ autem in lib. de Nat. Deor. & de Divinat. occurrunt, Theologi notari possunt ad Syst. Theol. quæ Pneumatologica, item, quæ denique Physica, ad Syst. Physicum.

47 Phrasès Ethicæ, Oeconomicæ & Politicæ, insignes, & antehac nondû observatæ, notari debent ad locos ipsos rerû, prout ostēdimus in dispositione voluminû Ethic. Oecon. & Politicorum.

48 Propterea autem tardius hos libros legi velim, quia sunt pleni rerum Practicarû, & idcirco requirût iâ Phil. Practicæ cognitionē vberiorē, q̄ vberior cognitio incipiēda est cū hac ipsa periodo

Ciceroniana, statim post 14 istas Orationes ad imitationem Ciceronis scriptas & habitas. Tum enim non amplius contenti esse debemus lectione Thesium Ethicarum, Oeconomiarum, & Politicarum; sed pergere ad secundam & vberiore[m] impressionem istarum disciplinarum legendo ipsa Syst. Ethicorum, Oeconom. & Politic. preceptorum, & iis vel semel perlectis, adiungere istos libros Ciceronis, tam rerum, quam verborum causa.

49 Nec tantum propter rerum maturitatem tam serò legendi sunt hi libri; sed etiam propterea, quia stylus & dicendi genus in iis est magis virile & magis maturum, minusque adeo laxum, iuvenile & luxurians, nec etiam ita grande ac pomposum, sed graue & modestum, quodque adeo magis aptum sit descriptioni & locutioni rerum grauium in Rep.

50 Existimarim mensibus duobus vel tribus lectionem fructuosam horum librorum à diligenti homine absolui posse, post Systematicam istam & secundam impressionem Ethicæ, Oeconomicæ & Politicæ.

51 His ita absolutis, veniendum ad Epistolas omnes Ciceronis, præter eas quæ sunt ad Atticum. Epistolas autem omnium tardissimè legi, quicquid alii riserint, propterea suadeo; Primò, quia Epistolica artificia tota pendent ab artificiis
istis

istis primariis, quæ in orationibus præcipuè quæ-
runtur: itaque primaria artificia prius fuerant
cognoscenda; 2, quia Epistolarum scribendarum
peritia comparari non potest sine aliqua pruden-
tia Ethica, Oeconomica & Politica, prout in Sy-
stem. Rhet. latius diximus. Denique, quia ad
Epistolas scribendas, non est necesse nos ita cito
preparari ut ad orationes, siquidem Epistolas
scribere, præsertim quæ sunt alicuius momenti;
tum demum incipimus, quando vel ex patria
ablegamur ad exteros, ut inde in patriam scri-
bamus, vel quando cum exteris libertatem & a-
micitiam contrahimus, ut ad eos scribamus. Id
quod non ita repente fit in adolescentia, sed iam
in iuventute.

52 Modus legendarum epistolarum Cicero-
nis, intelligi potest ex modo legendarum oratio-
nam, nempe, ut primo unicam aliquam episto-
lam resoluas accuratè secundum præcepta epi-
stolarum in Syst. Rhet. tradita: reliquas autem
cursoriè tantum & repente peruolues, omissis
iis, quæ Historica sunt, & intelligi ita nõ possunt,
nisi ab iis qui se totos dedunt Philologicis illis &
Scholasticis studiis.

53 Deinceps enotanda sunt ex epistolis. Primo
phrases, secundum locos communes ibi in Rheto-
ricis præscriptos, post formula, secundum eos-
dem locos & artificia epistolica, denique res siue

sententia, si qua sint valde memorabiles, & in multis adhuc precedentibus libris observatae.

54. Putarim autem lectionem Epistolarum Ciceronis praeter eas quae sunt ad Atticum, de quibus suo loco, absolui posse quinque vel sex septimanarum spatio.

55. Ita ut toti Ciceroni, praeter epistolas ad Atticum perlegendo, existimem homini industrio annum, aut ad summum sesquennium sufficere. Lipsius quidem praescribit biennium; sed ego loquor de homine industrio, & de tali, qui dextrè informetur in Logicis, Rhetoricis & Practicis, hunc omnino citius quam biennio id praestare posse iudicari.

56. Ab hoc tempore iam liberior styli exercitatio incipere debet, ut nempe non tantum Ciceronem legamus & imitemur, sed etiam alios auctores; nam qui solum imitandum existimant, manifestis argumentis conuinci possunt: Etenim qui solus imitandus est, is etiam in omnibus imitandus est: Atqui hoc fieri non potest, cum Cicero de paucissimis rebus scripserit, multa vero alia sint, de quibus nos loqui & scribere oportet, & de quibus interim nihil in Cicerone scriptum reperimus, quod imitari liceat.

E.g. Si de rebus bellicis sit scribendum, parum aut nihil in Cicerone inuenies, quod imitari possis, sed necessario conuertenda est imitatio styli bellici,

bellici, siue phrasium bellicarum ad Liuium, Cæsarem, Salustium, qui de rebus bellicis scripserunt.

Altera ratio est: Quia Cicero non scripsit omni dicendi caractere omnia; atque nobis sæpe scribendum est caractere Laconico, qui caracter in Cicero rarior: itaque tum imitatio conuertēda est ad Laconici styli authores, siue ad istos qui in isto stylo excellant; siquidem præter Epistolas ad Atticum pauca sunt in Cicero.

3. Stylus aptandus est rebus: itaque alio stylo docendum est de rebus Metaphysicis, Physicis, Mathematicis, alio stylo scribendæ sunt historiae. Stylus autem Ciceronis his omnibus aptari non potest.

4. Ratio. Imitatio est ingenii nostri ad alterius ingenium cōformatio, secundum naturam facta: Atqui fieri non potest; ut omne ingenium omni ætate assimiletur Ciceronis ingenio; hoc enim foret contra naturam agere, quæ ut diuersa dedit temperamenta hominibus, ita quoq; diuersa dedit ingenia, ita ut omnes homines non debeant vnus hominis ingenio astringi. Ciceronis temperamentum fuit forte, sanguineum & Phlegmaticum, ideo præposterum fuit hominem temperamēti siccioris, nempe vel cholericis vel melancholicis, penitus conformare ad ingenium & temperamentū Ciceronis. Sermo sane & stylus valde pendet à temperamento, & aliter scribunt humidi, aliter sicci; quia sermo est ingenii imago. Igitur, quale est ingenium, & quales sunt cogitationes in mente, talis est sermo & stylus. Si ingenium & cogitatio mētis est acris, subtilis, breuis, & methodi atque ordinis stricti, etiam oratio & stylus

est talis, si cogitatio mentis est laxa, fusa, prolixa, nec intra certas ordinis metas coercita, etiam oratio est talis.

Denique prudentia etiam postulat, ut stylum & dicendi genus accommodemus presentis saeculo in quo vivimus, & istis hominibus quibus dicturi aut scripturi sumus. Hoc vero saeculum in multis Rebuspub. tale nunc non est, quod laxam illam & vberem eloquentiam Ciceronianam ita ferre & probare possit, ut olim factum fuit. Sunt iam ingenia hominum, velut viuaciora & magis ignea, ut penè plus rerum quam verborum quaerant, amentque breuitatem & accuratam dispositionem, adeoque cupiant verba aequare rebus, & res verbis. Quale dicendi genus ex sola imitatione Ciceronis acquiri non potest.

Conferet ergo Eloquentiae studiosus sese ad lectionem Iulii Caesaris, & hoc absoluto, ad lectionem Salustii; ab his deinde ad Panegyricos autores, qui uno volumine editi sunt, inter quos praecipue excellit Plinii Panegyricus, Traiano Imperatori dictus; qui quidem erit quinta styli & eloquentiae periodus.

Sexta & vltima Periodus erit iam in Laconico stylo formando, ubi primo legendus Seneca, Plautus, Tacitus, & inter recentes Lipsius: Deinde veniendum ad epistolas Laconicas, & tum demum diligenter legendae epistolae Ciceronis ad Atticum, & enodanda singula, secundum titulos Locorum Communium Epistolicorum. Post epistolas ad Atticum, legendae epistolae Senecae, Plinii Secundi, ac aliorum veterum & recentium authorum

AD ORAT. CICERONIS. 33
thorum Laconicorum; quos in Syst. Rhetorico
nominauimus.

Ratio vero cur tam serò suadeam Epistolas ad
Atticum legendas esse, ex superioribus intelligi
potest; quod nempe Epistolæ sint ætatis iam ma-
turiore, & quod requirant non tantum artem,
sed & prudentiã, & quod ars Epistolica tota pen-
deat, ab arte formandarum Orationum, & deni-
que quod stylus Laconicus nõ sit affectandus ni-
si calido & humido iuuenili decrecente nonni-
hil & corporis temperamento vergente ad ma-
turitatem quandam & siccitatem. Quod ante æ-
tatis annum x x i v. aut x x v. aut x x v i. pro di-
uerfitate corporum non accidit.

*Distributio ergo periclorum styli & eloquen-
tiæ formandæ in certos ætatis annos hæc esse pos-
sit, vt nempe anno ætatis 17 aut 18. legantur
scripta Ciceronis Dialectica & Rhetorica, & de-
cimo nono veniatur ad Orationes. 20 ad reli-
qua scripta dogmatica, vt sunt Officia, &c.
21, ad Epistolas familiares, seu Iulium Cæ-
sarem, Sallustium, & oratores Panegyricos le-
gendos; deinceps porro ad alios authores recen-
tiores, nempe ad Orationes Rami, Mureti,
Perpiniani, & similes. Denique tandem ad
Laconicos, nempe ad Epistolas Ciceronis ad
Atticum, Senecam, & alios.*

Maturè vero assuefaciendus est animus, vt pos-
sit discernere Laconicum genus dicendi à fusio-
ri, & si quod in ipsis scriptis laxioribus artificium

C

Laconicum, aut phrasis aliqua Laconica occurrat, ut sane occurrit non rara, possit eam discernere, & sub Titulo Laconismi notare, prout in Locis communibus recte adornandis Laconicarum phrasium titulos distinguendos esse dixi à Titulis Phrasium Asiaticarum & Atticarum.

Porro modus resoluendi & imitandi in Laconicis scriptis, tam Ciceronis quam aliorum, congruit cum modo resoluendi & imitandi eo, qui observatur in scriptis Asiaticis & Atticis, ita, ut nihil aliud nunc restet, quam ut Orationem aliquam Ciceronis in manus sumamus & evidenti aliquo exemplo ostendamus, quomodo resolutio accuratior illa, quam initio instituendam esse diximus; fieri debeat. Sumamus ergo Orationem pro *Marcello*.



RESOLVTIO ORATIONIS PRO MARCELLO.

Pars Externa Resolutionis, & primo quidem primaria.

PRIMARIA pars externa orationis pro *Marcello* consideratur, vel separatim, vel collectim. Separatim considerata continet tria. Primo, causam efficientem principalem huius orationis, quæ est Cicero, cuius explicatio siue descriptio aliunde petenda, &

da, & hic praesupponenda. 2, Continet causam
 efficientem minus principalem, siue impellen-
 tem externam, quam vulgo vocant occasio-
 nem, ex qua nata est haec oratio, siue qua im-
 pulit Ciceronem ad hanc orationem habendam.
 Ea autem causa est, vel prima, vel orta. Prima
 causa est effectum Marci Claudii Marcelli,
 qui bello civili partes Pompeii secutus fuerat,
 quo victo, Caesarem metuens, Mytilenas con-
 cessit, ibique in studiis bonarum artium vixit.
 Orta causa est, quod cum in Senatu facta esset
 mentio Claudii Marcelli, & Caius Marcellus
 se ad Caesaris pedes abiesset, cunctusque adeo
 Senatus consurgens, ad Caesarem pro Marcel-
 lo supplex accessisset, Caesar repente, praeter o-
 mnium spem, Marcellum in gratiam recepe-
 rit, unde Cicero, qui statuerat in perpetuum
 tacere, sententiam rogatus, pluribus verbis Ca-
 sari gratias egit. Denique tertio, continetur
 ipsum obiectum, siue scopus orationis, siue ipsum
 Thema, quod est simplex & affectuosum, at-
 que adeo Eucharisticon, siue gratiarum acto-
 rium. Quod Thema reduci potest ad Ethicam,
 ratione gratitudinis, à qua proficiscitur.
 Ad Politicam vero specialem, nempe Ro-
 manam, ratione causae impellentis & scopi,
 adeoque etiam ratione causae principalis, nem-
 pe Ciceronis Senatoris, & deinde

obiecti, nempe Iulii Cæsaris. Cum autem affectuosum Thema sit duplex, ut in Rhetoricis docuimus, vel exprimens primario nostrum affectum, vel mouens primario alienum affectum; sciendum est hoc Thema esse primario prioris affectus. Cicero enim hic primario vult exprimere affectum Senatus, & suum erga Iulium Cæsarem propter veniam Marcello datam. Secundario autem & oblique mouet affectum actionum in Iulio Cæsare, nempe quem impellit, primo ad bonam spem concipiendam in periculis, sicut suo loco patebit. 2, Ad beneuolentiam constantem erga Senatum, erga seipsum, nempe Ciceronem, & denique erga Marcellum. Collectim considerata pars.

Hoc modo elaborandum est accuratè in Thematis Oratione constituendis, nam nisi id fiat, statim committitur error in primo principio, qui deinde nullo modo corrigitur. Sicut videmus Freigium & alios, qui hanc Orationem resolverunt, haud feliciter resolvere, quia Thema malè constituerunt. Freigius enim dicit, Thema esse coniunctum, nempe quæstionem; *An Cicero Cæsari gratias agere debeat pro Marcello restituto, quasi vero hoc sit disputabile: gratias agendas pro ingentibus & insperatis beneficiis.*

Externa primaria, est summaria indicatio causæ efficientis principalis, minus principalis & Thematis, quam quilibet per se formare potest
ex præ-

ex precedentibus. Qui enim simplicia habet, facile ea potest, certa aliquâ serie orationis coniungere, ita ut non opus sit argumentum orationis hic peculiariter ponere, atque adeò id coniunctim repetere, quod ante sigillatim explicatum fuit.

Peccant & hîc alii resolutores, Freigius & alii, qui cum præcognita resolutionis, siue partem externam resolutionis sigillatim non posuerint, & præmiserint, post tamen certam summam inde colligant, quam argumentum vocant.

Tantum de primaria parte externa huius Orationis: pars externa secundaria est, quæ non tam ad artem & doctrinam, quam ad affectum comparata est, atq; adeò conciliat Orationi huius amorem & admirationem, ex dignitate & utilitate eius prædicata, id quod non ita est necessarium in accuratis resolutionibus; siquidem orationis dignitas & utilitas per se elucescit, ex eius artificiiis resolutis & ostensis, & monstrato eorundem usu atque imitatione.

Tantum de Præcognitis, siue parte externa Resolutionis nostræ: veniendum est deinceps ad ipsam internam resolutionem, quæ est tum artis, tum prudentiæ, i. e. recognitio primo artis quam Cicero adhibuerit in hac oratione habenda, 2, prudentiæ oratoriæ, quæ usus est circa hanc orationem.

Resolutio Exordii, & quidem primo, Reso-

lutio prima artis. Pars huius orationis partim externa est, partim interna. Externa pars est, vel ante Tractationem, & dicitur Exordium; vel post Tractationem, & dicitur Peroratio; itaque primo ordine resoluamus Exordium, & in eo contentum Thema. 2, Tractationem Thematicis, & denique perorationem.

Obiter: Ex hac partitione intelligi potest error Freigii, qui hanc orationem diuidit in quatuor partes, nempe 1, in quaestionem; 2, in laudem Caesaris; 3, In confutationem. Et denique 4, in perorationem.

Exordium durat vsque ad illa verba, *Tacitus nullo modo praeferre possum.*

Vbi iterum notetur error Freigii, qui magnam partem tractationis refert ad Exordium, quod producit vsque ad illa verba: *Aut vlllo genere laudis praestantior.* Cum vero propositio Exordio inseratur, vt in Rhetoricis monuimus, etiam simul hic propositio in hoc Exordio resoluenda fuerit. Itaque Exordium separatim à Themate proposito spectatum, durat vsque ad illa verba, *Meo pristino more dicendi.* Post haec verba, est propositum, seu Thema: Est verò Exordium non successiuum, sed abruptum. Et ducitur quidem à subiecto orationis, siue à persona dicentis, quae persona explicatur accidentium argumento, eorumque duplicium, nempe Accidentis priuatiui, videl. silentii, & deinde Positiui, nempe Orationis. Silentium, siue accidens priuatiuum explicatur primo circumstantiis temporis. Diuturni silentii, quo eram his temporibus vsus. 2, Explicatur

catur causa impellente, quæ est duplex, Dolor & Verecundia. Dolor quidem ob Pompeii cladem; verecundia ob Iulii Cæsaris fortunam & victoriam. Itaque implicite sic, sub causis impulsivis internis, mens cogitari debet de causis impulsivis externis.

Positium Accidens, vid. Peroratio explicatur 1, obiecto, *Patres conscripti*. 2, Explicatur circumstantia temporis, *Hodiernus dies*; 3, Explicatur Fine, *quæ vellem, quæque sentirem*. Denique explicatur pari, siue cognatis, *meo pristino more*.

Hæc est Resolutio Tractationis in Exordio: Sequitur Resolutio dispositionis, atque adeo etiam connexionis, quæ dispositio est ab antecedenti ad consequens, nempe à silentio ad orationem.

Formulae connectendi sunt in explicatione causarum, *Non timore, non dolore, sed partim verecundia*; itaque connectit diuersas causas diuisione. Secunda connexio est inter Antecedens priuatum, & consequens positium, quæ connexio fit circumstantia temporis. Finem, *hodiernus dies attulit idemque initium*.

Sic etiam Resolutio Dispositionis. Sequitur Resolutio Exornationis, quæ partim est in Tropis & figuris, partim vero in Euphonia & periodo.

Quod ad Tropos & figuras, est Metonymia in eo, *diem finem attulisse silentii, & initium dicendi*, cum non dies hoc fecerit proprie, sed orator in isto die. Est ergo Metonymia circumstantiæ pro

Circumstantiatio. Figurâ, quæ *ὕστερον πρότερον* dicitur, continetur in istis verbis, *quæ vellem, quæque sentirem*. nam sentire est prius, quam velle; itaque proprie sic fuisset loquendum, *quæ vellem, quæque sentirem*, sed Orator figuram adhibet.

Exornatio in concinnitate verborum & in periodo, ita resolvitur, si primo cōsideremus Euphonian, quæ est partim in principio Exordii, ex præmisso adiectiuo, prolixo & affectuoso nomine *Diuturni*, quâ euphonian statim agnoscis per transpositionem. Si enim Cicero ita inceptisset, *Silentii diuturni*, non fuisset tanta gratia. Secundò, Euphonia ista & concinnitas Exordii huius oritur ex ipso fluxu & continuatione vocabulorum, qui fluxus & continuatio omnem suam gratiam accipit à dispositione ista quam ante resolvimus: quæ quidem gratia agnosceretur etiam ex transpositione *Diuturni silentii*; quo non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia eram his temporibus *usus hodiernus dies finem attulit*; hîc nulla est gratia aurium, cum tamen sint eadem vocabula; quia nimirum non est eadem vocabulorum ordinatio. Tertium artificium est in commensuratione periodi, quod nempe totum Exordium unicâ periodo comprehendat, eaque valde proportionali, nempe ex quatuor membris; est autem inter quatuor optima Analogia.

Quartum & vltimum artificium est in clausula periodi: claudit enim periodum, non vna nec duabus syllabis, sed tribus, iisque non breuibus, sed longis, prout periodum incepterat, à quatuor syllabis, inter quas tres longæ erant, quod artificium, & quæ gratia etiam patescit, ex transpositione,

tionem, quæ vellem quæque sentirem, dicendi neco pristino more.

Restat resolutio Actionis in hoc exordio, quam expressam facere nullam possumus, quando scriptam tantum orationem legimus.

Vnde patet, orationes scriptas, nunquam tam perfectas esse, ut sunt eæ, quas à præstantibus authoribus audimus; quia actio est summum artificium Rhetoricum; actionem autem in scriptis orationibus resolvere, animadvertere & imitari non licet; Ergo scriptas orationes legere est imperfectionis, & plus utilitatis ex vna excellenti oratione audita percipi posse certum est, quam ex pluribus lectis. Cum autem dico ad Eloquentiam comparandam perfectius conducere, si quis Orationes bonas audiat quam si legat: intelligendum est de tali oratione, quæ habetur voce ac gestibus convenientibus huic tempori & isti loco, in quo vivimus. Nam quid de veterum Oratorum actione sentiendum sit in Syst. Rhet. vberim monuimus. Cæterum cum resolutio orationis sit recognitio omnium artificiorum in illa oratione adhibitorum, non tantum cum scriberetur, sed etiam cum haberetur, & verò actio sit artificium quo Orator usus est, ideo quoque actio recognoscenda & resoluenda fuerit; quod aliter fieri non potest, quam si is qui Orationem resoluit, singulis quoque periodis adiiciat actionem, nostro tēpori, loco ac personis accommodatam, ut ita A. actionem ad oculos videant & imitari assuescant.

Hæc est Resolutio artis in Exordio. Sequitur

Resolutio seu cognitio prudentiæ Oratoriæ, quæ consistit in discretionem personæ, temporis & loci. Persona est duplex, subiecti & obiecti. Persona subiecti est Cicero, qui in eo hîc prudenter, an callide dicam, facit, quòd coram Cæsare, quem paulo ante trucidatum vnice cupiebat, & adhuc fortassis cupit, tam demissus apparet. Persona obiecta est partim Senatus Romanus, cuius voluntati se accommodat, & quem hîc potius compellat quam Cæsarem, vt nempe declaret, se non tanquam priuatum, sed tanquam Senatorem nunc loqui, quo tanto plus ponderis apud Cæsarem hæc Oratio habeat. Discretio loci & temporis, à personarum discretionem pendet, & ex ea facilè intelligi potest.

Hucusque fuit Resolutio Exordii prima. Sequitur orta, quæ est circa enotationem, & circa imitationem.

Enotatio autem duplex est, vel magis Grammatica, quoad phrasas elegantes, vel magis Rhetorica, quoad exempla artificiorum & formulas. *Vti silentio*, phrasin hanc refert ad Titulum Ethic. *De Taciturnitate. Finem afferre*, ad formulas finiendi. *Afferre initium*, ad formulas exordien- di. *Non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia.* Artificium est Rhetoric. referendum ad Titulum triplicem, 1, Causas afferendi. 2, Ad Titulum Diuisionis & Partitionis; 3, ad Titulum Oppositionis, siue Antitheseos. Quod ad imitationem, obseruandus est generalis Canon: Exordia in scholis ita trita, non facilè esse imitanda, interim tamen Exordium hoc ad imita-
tionem

tionem deduci potest, mutatis verbis & mutata dispositione. Coegit me haecenus tacere morbus meus, ignorantia mea, tyrannis quorundam, sed hodiernus dies est, qui me loqui iubet, quæ formula huius Exordii ad hanc expressa notari potest in locis communibus ad exempla Exordiorum à persona nostra; item à circumstantia temporis.

Tantum de Resolutione Exordii. Sequitur Resolutio Thematicis, siue Propositionis latentis in Exordio, quæ ibi incipit: Tantam enim mansuetudinem: & desinit ibi, nullo modo præterire possum.

Est autem Thema simplex, nempe Eucharisticum, siue gratiarum actorium. Gratiarum actiones enim & laudationes ad simplicia Them. retulimus in Syst. Rhetorico.

Affectuosa vero Themata, quale hoc est, & præsertim gratiarum actoria, dupliciter solent ab Oratoribus proponi; videlicet, explicitè & implicitè. Hoc Thema proponitur implicitè à Cicerone: cum enim sit gratiarum actorium, proponitur tanquam laudatorium. Latet enim in quavis gratiarum actione laudatio eius à quo beneficium accepimus, hanc laudationem pro ipsa gratiarum actione ponit. In conclusione autem explicitè hoc thema ponit, ubi inquit: *Magnas tibi omnes gratias agimus, Caie Caesar. Sed maiores etiam habemus.*

Notetur igitur quam alienum sit, quod Frei-

gius & alii omnes Resolutores, Thema huius Orationis velint esse coniunctum. Quæstio huius Orationis, inquit Freigius, est, *An Cicero Cæsari gratias agere debeat*; quasi vero hoc dubium sit, & quasi vlllo argumento id probet Cicero, qui in mandatis id habebat, vt faceret. Non quærit ergo, vtrum gratias Cæsari agere debeat, sed hoc agit, vt agat gratias. Cæterum thema hoc non nudè proponitur à Cicerone, sed cum Exaggeratione & Exornatione. Quod ad Exaggerationem, fit ea partim dilatando, partim gradum aliquem addendo. Dilatando per diuisionem virtutum Cæsaris, mansuetudinem, clementiam, sapientiam, &c. gradum addendo per proprietates istarum virtutū, vt inusitata, inaudita clementia, &c. Dispositio & connexio in hac propositione, est per particulas, *tanta, item, &c.* Exornatio partim est in tropis & figuris, partim in periodorum structura. Tropus est, Hyperbole Oratoria, deinde figura est Gradatio, itemque *divotus*, vehementia exprimendi affectus, vbi dicit, *Tacitus præterire non possum*, pro, *tacitus præterire nolo*. Actio proposita metienda est ex rebus; & vocem quidem oportet hîc esse acriorem, magisque eleuatam & & concitatam, oculos apertiores, brachiorum ac manus vtriusque quædam eleuatio.

Quod ad Exornationem periodicam, est periodus quinque membris, sic vt singula membra crescant. Initium periodi constat longis & firmis syllabis, aptis ad exaggerandum, *Tantam, &c.* Finis periodi constat quidem etiam longis syllabis, sed mollioribus, & comparatis ad lenem affectū; *Præterire possum*; Prudentia in hoc Themate duplex

plex elucet: Primò quidem, quod ex improviso Cicero erumpit in laudes Cæsaris. 2, quod incredibile suum desiderium, illarum laudum particeps faciat. Quod ad notationem attinet, primo phrasis enotetur ad Titulum Ethic. *De conuenienti sermone, Tacitus nullo modo præterire possum.* 2, Ad Titulum Rhetor. siue hæc formula Exaggerationis pulcherrima: *Tantam enim mansuetudinem, &c.* Classe 3. Deinde notetur Epitheta *tam inusitatam, inauditam, incredibilem*, ad Titulum Emphaseos Classe 5. locorū Rhet. Imitatio huius propositionis potest fieri in omnibus Orationibus laudatoriis, gratiarum actoriis, & inuectiuis.

Haftenus Resolutio Exordii & Thematis propositionis; Sequitur iam interna pars Orationis huius, vid: ipsa gratiarum actionis tractatio, quæ ita incipit, *Marco enim Marcello*; & ibi desinit, *laterum nostrorum oppositus*, &c. Distinguitur autem ista tractatio in duas partes, quarum prior est descriptio & laudatio beneficii ipsius, vid. Restitutionis Marcelli. Altera est explicatio causæ Efficientis, à quâ profectum est hoc beneficium, nempe *Iulii Cæsaris & laudum eius*.

Resolutio partis prioris. Incipit hæc pars ab iis verbis, *Marco enim Marcello*, & desinit in iis, *ullo genere laudis præstantior*, & habet periodos sex. Et primo quidem beneficium acceptum explicatur ab Effectu, qui est, quod restituto Marcello, restituta sit authoritas & Ciceroni ipsi, ac toti Senatui & Reip. Quod beneficium siue effectus beneficii amplificatur antecedentibus & oppositis. Effectus beneficii est periodo primâ. Tractatio ergò huius argumenti constat cõparatione minorū & maio-

rum, nempe quod non solū Marcello sit restituta
 autoritas Senatus, sed etiā Ciceroni, nec Cicero-
 ni solum, sed & Senatui, totique Reip. Connexio
 & dispositio pendet à concinna maiorū & mino-
 rum comparatione, eorumq; per coniunctionem
 copulatiuam constructione, *Et auctoritatem Et vo-
 bis Et Reip.* Exornatio est partim in figura Epistro-
 phe, nempe Syllabarum finaliū similiter desinen-
 tium; partim in quantitate periodica. Exornatio
 in quantitate periodica est, quod nempe vsurpet
 periodum trimembrem celeriter currentem. A-
 ctio merienda est ex rebus & earū magnitudine.
 Prudentia in eo est, quod hoc beneficiū statim ad
 se applicet, suamque fortunam cum ipsa fortuna
 Reip. communem efficiat. In Phrasibus nihil est
 ita singulare, nisi quis ad phrasin Beneficii dandi,
 referre hanc totam periodum velit. In Rheto-
 ricis notari possit hæc formula ad Classin primā,
 nempe ad formulas *Æqualitatis* aut *Paritatis*, aut
Inæqualitatis; *Non solum illius, sed meam, &c.*

Sequitur Amplificatio huius Effecti in sequen-
 ti Periodo, quæ amplificatio est duplex: primò ab
 Antecedente, nempe à dolore & commiseratio-
 ne, quam Cicero habuit erga Marcellum, cuius
 doloris obiectum est Marcellus, in eadem causa
 cū Cicerone, & tamen in contraria fortuna con-
 stitutus. Altera amplificatio est ab opposito, nēpe
 qui Cicero Marcello exulante, nō visus sit sibi vl-
 lum beneficium à Cæsare accepisse. Hæc est tra-
 ctatio huius Periodi Amplificatis. Dispositio hu-
 ius periodi amplificatorix, consistit 1, in apta con-
 nexione cū præcedenti periodo, quæ fit per con-
 iunctionē ratiocinatiuam. 2, in apta connexionē
 duorū argumentorum amplificantiū, quæ fit per

coniunctionem separatiuam, *nec*. Cæterum in priori connexionem, nepe huius periodi, cū præcedente, notabitur paulo post cæsura Ciceronis, nō facile hīc imitandi, utpote qui & præcedentem & hanc sequentē periodū, imo & tertiā ab hac orditur ab eadē coniūctione. Quod ad Exornationem attinet, ea est primò in figuris, deinde in cōcinnitate Periodica. Figura 1, est Incrementi; *Dolebā enim, & vehemēter angebar*. 2, Est in Epistrophe similiter desinentiū syllabarum; *vestro curriculo illo amulo, socio distracto*. Cōcinnitas periodica est quatuor mēbrorum. Initium periodi constat syll. breui ad exprimendū affectū lenē. Finis periodi constat syll. durioribus & longioribus ad exprimendam rei acerbitatē, distracto. Actio æstimāda est ex doloris vehemētia & acerbitate rei. Quod ad prudentiā attinet, in eo ea elucet, quod Cic. causam Marcelli suā faciat, & cōtra suā causam cōmunem cū Marcello reputet, ut nepe æquē sibi beneuolentiā Cæsaris conciliet ac Marcello. Quod ad phrasas, poterit ad T. Iustitiæ notari phrasim, *Præteritū talem qui in eadē causa, in qua ego, fuisset, non in eadē esse fortunā*. Deinde ad Tit. Amicitia: *Illo amulo atq; imitatore studiorū ac laborū meorū*. In Rhetoricis nihil est hīc memorabile, quod notari possit. Imitatio primo metetur cæsura: neq; .n. hīc imitādū est, quod hīc Cic. ternas periodos ab eadē cōiūctione *enim*, incipit: *Tantum n. Marco n. Marcello. Dolebā n. P. Cōsc.* Illud vero quod Cic. hīc suā cōmiserationem exprimit, imitari possumus in Orat. quibus nostrū dolorē & commiserationē cupimus exprimere. Alterū arg. siue alter effectus beneficii accepti, est priuatus, pertinēs ad Cic. cui authoritas à Cæs. restituta ē, atq; adeo pristinae vitæ cōsuetudo. 3. Effe-

ctus est publicus, vid. quod toti Reip. bona quæ-
dã spes libertatis sit reddita, per hoc beneficium
restituti Marcelli. Vterque hic effectus contine-
tur tertiã periodo, cuius vtriusque effecti ampli-
ficatio sequitur quartã periodo.

Atque hæc est resolutio tractationis in tertia
periodo. Resolutio dispositionis est, quod nem-
pe egregia fiat connexio vtriusque effecti, priuati
& publici, per coniunctionem copulatiuam, &
per concinnam interpositionem nominis Iulii
Cæsaris, quæ concinnitas interpositionis æstimari
potest aurium iudicio. Sequitur Resolutio Ex-
ornationis, quæ est vel quoad figuras, vel quoad
Periodum. Ac primo quidem hîc egregius est
Tropus Allegorias, siue Metaphoræ continuatæ,
cum inquit: *Sustulisti signum*, id est, vexillum ad
bene sperandum. Figura Epistrophes est in vlti-
mis syll. duorû verborum, *aperuisti, sustulisti*: quod
exemplum etiam referri potest ad figuram, quæ
dicitur *Epanodos*. Quod ad periodum attinet,
est ea admodum & pulchra & concinna bimem-
bris, in qua hoc est memorabile, quod finis pri-
mi membri, & finis secundi membri similiter de-
finant. Actio tota debet esse comparata ad lætitiæ
affectum, quem Cicero hîc cupit exprimere. Pru-
dentia in hac periodo elucet, dum semper suam
causam arcte cõnectit cum causa publica. Quod
ad Notationem: notetur primo phrasæ duæ ele-
gantes: *Interclusam vitæ cõsuetudinem aperire*, note-
tur ad Titulum Ethicum de libertate vitæ. 2, E-
notetur phrasæ, *Signum aliquod tollere ad bene spe-
randum*, notetur ad Titulum Ethicum, 1. Spei,
2, confidentiæ, quæ sub Tolentia continetur.

Quod

*Est etiam hic
figura Apo-
strophes dum
compellat
Casarem.*

Quod ad Rhetoricā notationem, notetur primo in Classe 5. sub Titulum Fiduciæ & ominationis bonæ. 2, ad Titulum Motum confidentiæ, classe tertia 2. partis Voluminis generalis: Imitatio fiat in omnibus orationibus ad effectum lætitię comparatis.

Quartâ Periodo, quæ incipit, *Intellectum est enim mihi*, continetur amplificatio explicationis in præcedenti periodo ductæ ab effectis, quæ amplificatio fit per causam impellentem internam, quæ Iulium Cæsarem movit Cicero & Reip. conferenda: Quæ causa impellens est mansuetudo Iulii Cæsaris, omnes dolores & suspiciones suas condonantis salutis patriæ.

Atque hæc est tractatio amplificatoria quartæ periodi: Sequitur istius tractationis dispositio, quæ dispositio fit per partitionē: *Intellectum mihi in multis, in me ipso, in omnibus.* 2, Connexio fit per iterationem primarii beneficii, nempe restituti Marcelli, & eius aptam connexionem cum hac causa impellente. Exornatio figurata est per Incrementum: *Intellectum est in multis, maxime in me ipso, sed paulo ante in omnibus.* Exornatio periodica est, quod hîc membra fere in vna periodo breuiter & concinnè connectantur etiam duobus membris heterogeneis, quasi aptissimè insertis per particulas, *cum, & præsertim.* Ut, cum *M. Marcellum Senatui commemoratis præsertim offensionibus.* Initium periodi & finis syllabis longis ac tractis egregie exprimunt rei grauitatem; tractâ enim & lentâ voce incipit periodus. *Intellectum,* & tractâ etiam ac lentâ desinit. Anteferre. Actio periodi huius responderè debet affectui Iulii Cæ-

fari, nempe mansuetudini, quæ sic exprimitur: Prudentia oratoria iterum elucet in eo, qui suam causam priuatam coniungat cum causa multorum, imo omnium & totius Reip. 2, quod tacite Cæsarem monet, ut potio rem rationem habeat patriæ suæ quam suorum affectuum. Notatio phrasæ admodum egregiæ, fieri debet ad Tit. Mansuetudinis, & condonationis in Ethica: *Authoritatem & dignitatem Reip. suis doloribus & suspicionibus anteferre.* In Rhetoricis artificiis Classe 5. vol. generalis, notatio fiat Titulo Commiserationis, & deinde ad classem tertiam partis secundæ general. vol. 1. Tit. Placatio & Sedatio iræ. Imitatio egregia fieri potest in orationibus illorum titulorum, quos iam modò monuimus. Sed tamen censura quoque Ciceronis hinc circa imitationem notetur. Quod iterum hic periodum ordiatur ab *enim*, quod ter antea fecerat; potuisset enim melius hinc ordiri periodum: *Intellectum id mihi sane in multis.*

Aliud argumentum ab effectu, spectans nempe Marcellum, continetur periodo quintâ, nempe quod Marcellus ex hoc beneficio Cæsaris ingentem honorem referat coram vniuersa Rep. quod beneficium amplificatur 1, causa efficiente publica, quæ est confessus Senatus. 2, Causa efficiente magis priuata, quæ est iudicium Cæsaris. 3, Amplificatur ab effectu, quod hæc restitutio Marcelli tam honorifica etiã ipsi Cæsari laudem pariat. Dispositio periodi huius est primo in concinna connexionione causarum amplificantiũ cum ipso effectu, per particulas, *cum, tum.* & deinde iterum noui Effectus cum istis causis, per particulas, *ex quo profecto.* Exornatio est in figura asseruatio-

ueratio-

AD ORAT. CICERONIS. 51

uerationis, ex quo profecto intelligis. quæ asseueratio
 etiam habet quandam speciem figuræ Epiphono-
 nematis. Exornatio periodica est quadrimēbris,
 & duo quidem vltima membra egregie concin-
 nantur beneficio comparationis: *Quanta in dato
 beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria.* Actio
 huius periodi ad lætitiā composita esse debet,
 & simul ad gratulationem. Quod ad prudentiam
 attinet, ea elucet, quando Cicero coniungit iudi-
 cium Cæsaris, cum iudicio publico Senatūs, & ita
 coniungit, ac si in nullo pænitus discrepent. No-
 ratio phrasium fieri potest ad Tit. Ethicū de Fe-
 licitate, tanquam præmium virtutis. *Fructum o-
 mnis antea actæ vitæ capere.* illa verò phrasis, *Magna
 laus est in dato beneficio, cum in accepto tanta sit gloria,*
 referatur ad Titul. Beneficentiæ. Quod ad Rhe-
 toricā artificia attinet, notetur ad formulas cau-
 sas afferendi, item causarum efficientium, note-
 tur, inquam, hoc, *Ille quidem fructum omnis antea-
 ctæ vitæ, hodierno die maximum accepit cum summo
 consensu Senatūs, tum præterea iudicio tuo.* Est enim
 illa explicatio per causam; 2, ad Epithetorum ex-
 empla, *In iudicio tuo grauissimo & maximo:* Illud
 vero, *Ex quo profecto intelligis,* notetur ad Titulum,
 Consequentia deducendæ, Classe 2. locorū Rhe-
 tor. Imitatio huius periodi egregia fieri potest in
 orationibus gratulatoriis: Hoc modo, si alicui
 gratulaturus de honoribus adeptis, dicas: *Tu vero
 hodierno die, quo ad fastigium honoris ascendisti, fru-
 ctum omnis antea actæ vitæ maximum cepisti, tum com-
 muni omnium ciuium consensu, tū iudicio principis no-
 stri grauissimo & maximo:* quod exemplum notari
 potest ad Titulum orationis Gratulatoriæ.

Sequitur sexta Periodus, continens amplificati-
 onem Effecti in præcedenti periodo positi ab
 alio effectu, nempe à publica lætitia, & deinde à
 causa efficiente, nempe à virtutibus Marcelli, tam
 moralibus, quàm intellectualibus. Istas enim duas
 periodos, quas alii faciunt, existimo in vnam re-
 ctè conflare posse, ita vt periodus sexta & vltima
 huius partis, *Est verò fortunatus*, & ibi desinat,
genere laudis præstantiori. Quod ad dispositionem
 attinet, connectuntur pulchrè duo argumenta
 amplificantia, nempe argumentum Effecti, & ar-
 gumentum causæ, per vocabula, *quod ei quidem*.
 Quod ad Exornationem, notandæ sunt primò fi-
 guræ, 1, Exclamatio, *Est vero fortunatus ille*. 2, In-
 terrogatio, *Quis enim illo, aut nobilitate*, &c. 3, A-
 naphora, qua quinquies repetitur coniunctio,
aut, quæ repetitio tam crebra, valde conducit ad
 exaggerationem, & ad mouendos affectus. Ex-
 ornatio Periodica fit per membra quatuor hu-
 ius periodi. Deinde per concinnum initium per-
 iodi, & mollem ingressum, per vocalem O, & vo-
 calem I, bis repetitam. Deinde finis siue clausula
 periodi mascula, per vocem productiorem & in-
 terrogationi aptam præstantior. Actio periodi
 diuersa est: nam in priori parte debet esse com-
 parata ad lætitiã & gratulationem, vbi dicit:
Est verè fortunatus ille, &c. Altera pars Periodi de-
 bet esse accommodata ad grauem quandam ob-
 testationem: *Quod ei quidem merito*, &c. Quod ad
 Prudentiam attinet, in eo elucet, quod Cicero ta-
 citè innuat Cæsari, eum virum recipi, quem rece-
 ptum omnes Romani cupiunt, & cuius virtus in-
 uidiã & odium possit parare Cæsari, si eam non
 foueat.

foueat. Quod ad enotationem, notetur Phrasis ad Titulum Ethicum gaudii: *ex hac re letitia peruenit ad omnes.* 2, Phrasis ad Titul. Iustit. distribut. Hoc ei merito atque optimo iure contingit. 3, Notetur phrasēs ad Titul. Virtute præditus, siue Virtutis. *Quis enim illo aut nobilitate, &c.* Quod ad Rhetoricam notetur formula gratulatoria: *Est vero fortunatus ille.* 2, formula laudatoria. *Quis enim illo.* Quod ad imitationem, ea eximia fieri potest in gratulatoriis & in laudatoriis.

Et hæctenus prima pars tractationis. Resolutio secundæ partis tractationis. Hæc pars diuiditur iterum in duas partes, quarum prior continet Thema laudatorium Cæsaris, vsque ad illa verba, *Quod plerique minimè timendum senserunt.* Altera pars continet adhortationem ad Cæsarem, incipiens ab illis verbis: *Nunc vero venio ad gravissimam querelam;* & desinit in illis, *corporum pollicemur.* Prior particula, quæ prius membrum continet, iterum diuiditur in generalius, vsque ad illa verba, *Visque deuicta est;* & in specialius, quæ inde incipit, *Atque hoc Caii Cæsaris iudicium;* & ibi desinit, *quod plerique minimè timendum senserint.*

Membrum prius: Membrum hoc continet 12. periodos. Ex quibus prima laudes Cæsaris tractat, argumento comparationis: *Magnas res gessisti, sed hæc maior est, quam hodierno die gessisti.* Dispositio periodi fit, per egregiam connexionem generalium Cæsaris laudum, cum hac speciali; Exornatio fit per Hyperbolen: *Nullius est tantum flumen ingenii.* Deinde per Assueverationis figuram, *tamen hoc affirmo, &c.* 3, Per Apostrophen: quâ orationem conuertit ad Cæsarem. Exaggeratio

fit per argum. externum testimonii, quod argum. exaggeratur nouis argumentis, vid. caussis efficientibus, *flumen ingenii dicendi, scribendi vis, copia enarrare, exornare*. Tropus vero est in vocabulo, *flumen ingenii*. Quod ad periodicam exornationem, constat periodus quatuor membris; quod ad actionem, debet ea esse attemperata, exaggerationi & laudationi, ita vt quasi vox de nouo instaureretur per quandam Exclamationem. Censura Ciceronis esse possit in eo, quod confragose & duriter collidat vocem, *quam, quam*: potuisset enim mollius & liquidius ita dicere: *Nullam in his esse laudē ampliorē eā, quam hodierno die consecutus es.*

Prudentia Ciceronis in eo est, quod Cæsari gratum facturum à primo velut ouo omnes eius laudes exordiat, præsertim bellicas. Notatio quod ad phrasas, notetur ad Tit. Virtutis Ethicæ, *Flumen ingenii dicendi, scribendi vis, copia*, ad Titul. Excusationis phras. notetur, *Pace dicam tua*. In Rhetoricis imprimis notetur egregia formula exaggerandi, *Nullius est flumen tantum ingenii*; quæ tamen formula temperanda fuerit apta imitatione, ne nimis oleat scholam. Imitatio autem sic fieri possit: *Nemini tam felix ingenii vena unquam fluxit, nec fuit vllius ea dicendi & scribendi vis, aut copiosus dicendi apparatus, qui potuerit benignitatē tuā, Princeps optime, vllō orationis genere exornare; quid dico exornare? ne enarrare quidem.*

Secunda Periodo tractat laudes Cæsaris, comparatione cum aliis Imp. Romanis, & cum exterarum gentium rebus gestis; per collationem minoris & maioris. Minus ad quod comparatur res gestæ Cæsaris, continentur priore parte periodi, quod

quod minus, tum amplificatur, tum exaggeratur. Amplificatur Ciceronis testimonio, partim cogitantis de his rebus, partim loquentis: *Soleo sæpè ante oculos ponere, &c.* Exaggeratio fit primo per partitionem minoris, vid. quod ii, cum quibus comparantur res gestæ Cæsaris, sint vel Romani, & quidem Imperatores, vel integræ gentes exteræ. Quod posterius, nempe, *gentes exteræ*, exaggeratur iterum, primo accidente Quantitatis, siue numeri, dū dicat, *Omnes exterarum gentium.* 2, Exaggeratur accidente Qualitatis; *Potentissimorū populorū.* 3, Exaggeratur arg. partis princ. *clarissimorū regum.*

Alterum membrum comparationis est Maius, nempe res gestæ Cæsaris, cuius maioris amplificatio exaggeratur, primo accidentibus Quantitatis, *Contentionum magnitudine, numero præliorum.* 2, Accidentibus qualitatis, *varietate, celeritate, dissimilitudine*; deniq; Effectu, quod effectum iterum exaggeratur partim obiecto, *disiunctissimas terras*; partim causâ efficiēte: quæ causâ iterum exaggeratur per collationem minoris & maioris, cū inquit: *Cuiusquam passibus tuis, non dicam consiliis, sed victoriis.* Et hæc est tractatio huius Periodi. Sequitur dispositio, quæ est in apta connexionem argumentorum amplificantium & exaggerantium, quæ connexio potissimum elucet in cōiunctione *hec*, sexies continuò repetita, ad exaggerationes cumulandas, & aggrauandas. Exornatio troporum & figurarum est talis; primò est Metaphora in eo, cum dicit, *ante oculos ponere*, pro cogitare. 2, Est Metaphora, in verbo, *illustrata sunt.* 3, Est figura Anaphoræ, dum ter repetit initio membrorum, *omnes.* item dum sexies ab initio mem-

brorum repetit, *Nec*. Quod ad Periodicam Exornationem, est periodus membrorum sex, cuius initium fit à voce *molli*, exprimens festinationem Oratoris ad tantas res exprimendas. *Soleo saepe*. Finis autem est lentior & tardior pro rei grauitate, *Illustrata sunt*. Cursus membrorum in periodis est incitatus & cumularus, sicut conueniebat vehementi exaggerationi; Ad exornationem etiam pertinent Epitheta, quæ in hac periodo cumulantur, *potentissimorum populorum, clarissimorum regum*; item Emphases in nominibus substantiuis. Genitiuo casu inuicem iunctis, *contentionum magnitudine, varietate regionum, dissimilitudine bellorum*, pro, magnis contentionibus, variis regionibus, dissimilib. bellis. Actio huius primæ periodi lenis est, quantum ad testimonium Ciceronis, deinde vehementissima, & magnam vocis intentionem requirens, quoad reliqua argument. amplific. & exaggerantia. Prudentia in eo est, quod se insinuet in gratiam Cæsaris, dum indicat, *se saepe cogitare & loqui cum singulari admiratione de rebus gestis Cæsaris*. Notatio prima quoad phrases: *Ante oculos ponere*, notetur ad Tit. Ethic. Prudentiæ, quæ considerat res, & confert inter se duas Phrases, *usurpare crebris sermonibus*, ad Titulum Ethicum de Recto moderamine sermonis. Quod ad Rhetorica artificia, notetur diligenter hæc tota periodus inter formulas & exempla Exaggerationum, & in primis ad exaggerationem per comparationem imparium, classe 8. 2, Notatur illa formula, *soleo saepe ante oculos ponere*, sub Tit. Formulæ exaggerandi per Testimonia. Item, dicendi, *Nos satis exaggerare non posse*. 3, Notentur Epitheta & Emphases Classe 5.

se 5. *Potentissimorum populorum, clarissimorum regum, contentionum magnitudine, numero praeliorum, varietate regionum, dissimilitudine bellorum, pro, Contentionibus magnis, praeliis multis, regionibus variis, bellis dissimilibus. Quod ad imitationem; In variis admodum materiis imitari hanc Periodum possumus. Nam quod attinet ad Testimonii amplificationem in omnibus grauibus materiis & administratione dignis, possumus imitari hanc formulam: Soleo mihi saepe ante oculos ponere hanc rem, Aud. soleam eam crebris sermonibus usurpare.*

Quod ad alteram partem Periodi, nempe ad Exaggerationes, imitatio fieri debet primo, quoad accumulationem & coaceruationem argum. exaggerantium, ut quoties aliquid volumus, vel in bonam, vel in malam partem exaggerare, multa coaceruemus argumenta in vnum, non contenti simus duobus vel tribus. In primis autem vtantur argumentis diuisionis & partium; deinde argumentis Comparationis; Epitheta etiam efficaciam addamus, ut hinc, *Potentissimorum, Clarissimorum*. Denique usurpamus genitiuos substantiuorum nominum pro adiectiuis, ut hinc magna efficaciam à Cicerone factum vidimus.

Sequitur tertia Periodus, *Qua quidem ego, &c.* quâ periodo primò exaggerationem continuat, repetito argumento à testimonio suo, *qua quidem ego, nisi tam magna esse fatear.* 2, Membrum comparationis explicantis laudes Cæsaris, quod supra in genere posuit periodo primâ, hinc ponit in specie, *sed tamen sunt alia maiora, clementia tua, quam hodierno die ostendisti, maior est omnibus tuis bellicis laudibus.* Quam comparationem amplifi-

cat primò à testimonio communi: *Bellicas laudes solent quidam extenuare verbis.* 2, Amplificat arg. artificiali, vid. Causa efficiente huius laudis, quæ causa iterum amplificatur comparatione, quod causa efficiens clementiæ in Cæsare sit totalis & solitaria. Causa verò bellicarum laudum non sit totalis & solitaria, sed socia, quæ causa socia amplificatur partitione, nempe *militum virtus, locorum oportunitas, auxilia sociorū.* Classes, Commeatus, Fortuna; quam vltimam causam, nempe Fortunam, iterum amplificat primò comparatione maioris cum aliis causis: 2, Effectu: *Quicquid est prosperè gestum, &c.*

Dispositio periodi in eo est valde concinna, quod amplificat à Testimonio per cōiunctionem Aduersatiuam, ita aptè connectit cum argumento amplificatibus artificialibus. Exornatio, quod ad Elocutionem, primò continet Hyperbolen, *Vt in ea vix cuiusquam mens capere possit.* 2, Prosopopian, dum fortunam introducit loquentem, quasi verò *maximam partem in iure sibi fortuna vendicat.* 3, Emphasis, ad Exornationem facit, quæ hic est in substantiuis genitiuis; *Militum virtus*, pro militaris virtus, *locorum oportunitas*, pro loca oportuna. Quod ad periodicam exornationem, est periodus itidem, seu membrorum, cuius initium etiam molliter fluit, vt & finis, quia orator cupit indicare se timidè admodū, hæc loqui de laudibus bellicis Cæsaris. Actio sit comparata ad timiditatem talia proferentis.

Quod ad prudentiam attinet, notetur quod Cicero sic simulet metum & timiditatem, dum extenuare vult gloriam bellicam Cæsaris. Quod
ad no-

ad notationem phrasium, notetur ad Tit. Ethic. Iustitiæ, in verbis, *Extenuare verbis, detrahere ducibus, communicare cum militibus, maximam partem quasi suo iure sibi fortuna vendicat.* Quod ad Rhetorica artificia, notetur egregia formula ad Titul. Classis 3. Docendi, *Nos satis exaggerare non posse.* Notetur etiam ad Titulum Emphaseos, quod genitiui aliis substantiuis iuncti efficacem orationem reddant: *Militum virtus, locorum opportunitas.* Imitatio huius periodi etiã fieri potest in omnibus rebus magnis exaggerandis, quoad primã partem periodi. 2, fiat imitatio huius periodi, quoties volumus extenuare magnas aliorũ laudes, vt nempe extenuationem nõ tam ex nostro, quam aliorum sensu proferamus. *Nam istas laudes solent quidam extenuare verbis, & certe ita etiam esse videtur.*

Quarta periodus. *At vero huius gloria.* Tractatio periodi est per alterum membrum comparationis, vid. per argum. maioris, quod gloria clemẽtiæ Cæsaris, maior sit omnibus laudibus bellicis, vtpote quæ sit sola, & non admittat in societatem laudem aliquam alteri debitã. Quod membrum maioris comparationis amplificat primo ex causa efficiente; *Huius gloria quam es paulo ante adeptus.* 2, Amplificat Antithesi, *Socium habes neminem.* Post exaggerat primo quantitate; *Totum hoc quantumcunque est, quod certè maximum est.* 2, Exaggerat oppositis. *Nihil sibi ex ista laude, &c.* Tertio exaggerat partitione: *Nihil centurio, nihil præfectus, nihil cohors, &c.* 5, Exaggerat iterum opposito, *Omnium maximo, nempe fortuna; Quis etiam illa ipsa.* Quod oppositum iterũ exaggerat, argumento proprii: *Ipsa rerum humanarũ domina:*

Deinde argumentum effectorum: *Non offert, tibi cedit, tuam esse fatetur.* Denique amplificat argument. oppositorum: *Nunquam temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.* Dispositio est valde concinna & artificiosa, dum argumēta exaggerantia cum amplifican-
 ribus arctè connectuntur, per voces, *totum hoc, &, nihil sibi.* Et deinde dum in fine amplificatio additur ab oppositis generalissimis, egregiam Thesin siue sententiam parientibus: *Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, &c.* Quod ad Exornationem Elocutionis attinet, est 1, Apostrophe iterata, *Caie Caesar, &c.* Deinde Anaphoræ & Epistrophæ & Epanodos, *totum hoc totum est.* Itē, *nihil,* quater repetitum; Deinde figura Epimone, siue Immoratio per præcedentem & per hanc periodum æstimata; semper enim Cicero idem inculcat, saltem diuersis verbis quæ figura dicitur *Epimone.* Denique Exornatio fit per figuram Epiphonematis: *Nunquam enim tenemus.* Quod ad Periodicam Exornationem, constat periodus ista quinque membris, quorum membrorum tum initium & finis, tum cōnexiones sunt admodum concinnæ, præsertim vero secundum membrum pulcherrimum est in connexionibus, *Totum hoc quantumcumque est, quod certè maximum est, totum est, inquam, tuum.* Quintum membrum admodum aptè etiam connectitur, dum generalia specialibus annectuntur per Coniunctionem, *enim.* Actio exaggerationibus conformis esse debet, & prærogatiuæ laudis exprimendæ, quæ est ab initio Periodi, vbi vox debet esse incitator, contra in fine vox esse debet remissior & grauior in sententiæ pro-

tiæ pronuntiatione. Prudentia in eo lucet, quod Cicero istam totam laudem restituti Marcelli Senatui deroget, & soli Cæsari tribuat, in quo calidè Cæsari adulatur. Quod ad notationem, ad Titulum Iustitiæ, in verbis possunt referri Phrases, *Totum hoc quantumcumque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum.* Item, *Fortuna se in societatem huius gloriæ non offert.* Quod ad artificia Rhetorica, notetur inter formulas exaggerandi, *Totum hoc quantumcumque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum.* Item, *Fortuna in societatem istius gloriæ se non offert, tibi cedit, tuam esse totam & propriam fatetur;* quæ duo exempla etiam notari possent sub Titulo Epimones, siue Immorationis. Quod ad locos communes Philosophiæ Practicæ, notari potest sub Tit. Prudentiæ, itemque sub Tit. Consilii: *Nunquam temeritas cum sapientia, &c.* Imitatio egregia fieri potest in omnibus orationibus laudatoriis; ubi nempe ostendere cupimus laudem aliquam vni homini in solidum deberi. Tribuuntur quidem & aliis laudes, sed tales, quarum non ipsi soli, sed multi alii participes sunt: *Tu verò huius gloriæ socium habes neminem, totum hoc quantumcumque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum.* Nihil sibi ex ista laude parentes, nihil preceptores, nihil amici decerpunt; quin etiam illa communis nostrorum omnium parens Resp. in istius se societatem gloriæ non offert.

Sequitur quinta Periodus. *Domuisti gentes, &c.* Tractatio huius Periodi constat etiam argumento comparationis, Maioris nempe & Minoris. Minus est, *gentes vincere.* Maius est, *seipsum vincere.* Prius membrum, nempe minus, primò

exaggeratur, deinde extenuatur. Exaggeratur 1, Effectu victoriæ, *Domuisti, &c.* Altera exaggeratio est ab Obiecto, & primò quidem à quãtitate, *Gentes multitudine innumerabiles, locis infinitas.* 2, à qualitate, *Immanitate barbaras.* 3, à causis instrumentalibus, *Omni c. piarum genere abundantes.*

Sequitur Extenuatio, ab Obiecti qualitate: *Vicistica*, quæ hanc qualitatẽ habebant vt vinci possent, quæ extenuatio amplificatur arg. generis: *Nulla est enim tanta vis, i. e. omnia humana sunt vincibilia:* Sequitur membrum Maius, nempe victoriæ sui ipsius, quod mēbrum exaggeratur. Primò à causis, *Animum vincere, Iracundiam cohibere,* 2, ab Effectis, iisque vel generalibus, nempe, *Victoriam temperare.* 2. Speciali effecto, nempe, *aduersarium in gratiam recipere:* quod speciale effectũ exaggerat 1, accidentibus propriis eius, quem in gratiam Cæsar recepit, nempe, 1, quod sit aduersarius: 2, quod sit præstans nobilitate, ingenio, virtute. 2, Exaggerat cõparatione minoris & maioris, vid. *non modo extollere iacentem,* quod est minus, *sed etiam amplificare pristinam eius dignitatem,* quod est maius. Denique tertio etiam amplificat cõparationis maioris & minoris. Minus est, cum inquit, *hunc ego non cum summis viris comparo.* Maius est, *sed simillimum Deo iudico.* Hæc est tractatio huius periodi.

Dispositio argum tractantium, præcipue elucet in dispositione eorundem, quæ connexio fuit præcipue ex connexione maioris & minoris, *Domuisti, sed tantum ea vicisti, &c.* Exornatio primo est in Emphasi & Epithetis, quorũ Epithetorum vis consistit in ablatiuis, quæ adiectiuis nominib. adduntur,

adduntur, *gētes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas*; quod longè est efficacius, quam si dixisset, *gentes immanas & barbaras multas, imo innumerabiles, &c.* 2, Consistit Exornatio in figuris, ut est Epistrophe duplex in hac periodo: 1, quidè in fine accusatiuorū, *barbarorū innumerabiles, abundantes, &c.* 2, in fine infinitiuorū, quinque continuo se subsequentiū, *vincere, cohibere, temperare, extollere, amplificare.* 3, Est Epanodos, in voce *tanta, tanta*, bis repetita. 4, est Epiphonema, *Hec quod faciat.* Quod ad exornationem Periodicam, Periodus est sex membrorum, cuius initiū, finis & vincula seu connexiones perpendi debent. Actio rerū magnitudini & grauitati aptari debet, atque attemperari ad argum. maioris & minoris. Prudentia elucet in magna prædicatione laudū bellicarum Cæsaris, calliditas in eo, quod eum Deo simillimum faciat. Notatio phrasiū fieri potest ad Tit. Polit. *Victoriæ, Domuisti gentes, &c.* 2, ad Tit. Ethic. *Mansuetudinis & Ignoscentiæ, Animum vincere, Iracundiā cohibere.* In Rhetor. enotetur ad Tit. *Emphases, Emphasis illa ablatiuorū cū adiectiuis iūctorum, Immanitate barbaras, multitudine innumerabiles.* Notetur etiam sub Tit. Orationis laudatorix ista formula: *Hec quod faciat, nō ego eum cum summis viris comparo, &c.* quæ eadem formula sub T. maioris & minoris notari potest. Imitatio fieri potest in omnibus iis orationibus, quibus alicuius mansuetudinem exaggerare volumus.

Sequitur alia Periodus: *Itaque Caie Cæsar, quæ se extendit vsque ad vocem, diligamus.* Male enim in textu ista periodus discerpitur in tres, cum sit vnica, quod ex arcta rerū connexionem facile appa-

ret. Tractatio huius periodi itidē constat com-
 paratione maioris & minoris ; quæ comparatio
 amplificatur argumento Testimonii, quod Te-
 stimonium interim amplificatur Partitione, dum
 distinguitur in speciale & generale, in præsens &
 futurum: *Bellicæ laudes Cæsaris celebrabuntur, &c.*
neque vlla vnquam ætas de tuis laudibus conticescet:
 Hoc membrum est minus.

Sequitur membrum maius, quod membrum
 maius amplificatur primò opposito, nempe, *quod*
laudes bellicæ quodammodo cum ipsis bellis evanescent.
 id, quod iterum amplificatur simili, ducto à cla-
 more militum, & tubarum sono: 2, amplificatur cau-
 sis, nempe clementiâ, mansuetudine, iustitiâ, sapientiâ:
 3, amplificatur opposito, nempe, iracundiâ & vi-
 ctoriâ. Denique testimonio, *audimus, legimus, stu-*
dio incendimur. Denique comparatione maioris
 & minoris, atque adeò etiam effectu. Compara-
 tio maioris & minoris est, *res gesta, & res ficta.* Effe-
 ctum est: *Eos quos nunquam vidimus, diligamus.* At-
 que hæc est tractatio:

Dispositio est argumenti à maiori & minori
 testimoniis amplificatorum. Exornatio primò est
 in Metonymia; *Ætas conticescet.* 2, in Metapho-
 ra, *Obstrui clamore militum, & tubarum sono.* 3, est
 in coaceruatione Epithetorum aduerbiorû, *cle-*
menter, mansuetè, iustè, moderatè, sapienter: Denique
 vltima exornatio est in figura interrogationis.
Quo studio incendimur. Periodica exornatio est
 membrorum quinque coniunctionibus aduer-
 sativis inter se deuinctorum, cum parenthesi in-
 terposita. Initium Periodi blandum est: *Itaque*
Cæsar; finis grauis, constans etiam syllabis,
Diligamus.

Diligamus. Actio comparationi maiorum & minorum arg. aptanda est. Prudentia in eo est; Cæsari quod spōdet perpetuam & immortalem memoriam, tam laudum bellicarum, quam clementiæ. Enotatio phrasium fiat ad Titulum Ethicum laudationis, siue laudis & gloriæ. Quod ad artificia Rhetorica, enotentur formulæ laudationis: *Bellica tua laudes celebrabuntur*; Illæ quidem vsque ad verbum, *conticescat.* 2, Fiat enotatio ad Titulum Exprimendi amoris: *Quo studio incendimur.* Quod ad res attinet, notari potest ad Titulum Ethic. Iracundiæ, Sententia, *Iracundia est inimica consilio.* ad Tit. Polit. Victoriæ notetur sententia, *Victoria naturâ insolens & superba est.* Imitatio fieri potest in omnibus orationibus laudatoriis.

Sequitur alia periodus: *Te verò.* Quæ clauditur vocabulo *sedibus*: cuius periodi tractatio continet argumentum laudatorium Cæsaris. 1, A circumstantia temporis & loci, quod argumentum amplificatur primo à testimonio sensuum, *quem presentem intuemur, &c.* 2, ab effectis. *Quicquid belli fortuna reliquum Reip. fecerit, &c.* Exaggeratur autem primò partibus laudationis, atque adeò etiã effectis, *quibus laudibus efferemus, quibus studiis prosequemur.* Deinde exaggeratur testimonio rei inanimatæ: *Parietes mediis fidius: & denique ab effectu: Breui tempore futura.* Dispositio constat argumentis amplificantiũ & exaggerantium connexionem. Exornatio constat primò Apostrophe, *Te verò.* 2, Hyperbole, *Mentem & sensus cernimus.* 3, Triplici interrogatione. 4, Prosopœia, quod parietib. tribuat affectum & vocem. Exornatio Periodica est sex membrorum, apte

inter se connexorum. Actio vehemens esse debet, & magnam vocis contentionem habere. Prudentia in eo est, quod Cæsarem quasi in faciem compellat, eique studia totius Reip. & imprimis Senatus pollicetur. Enotatio phrasum fiat ad Titulum Ethicum, Instaurationis rerum perditarum, sub Titul. felicitatis: *Quicquid belli fortuna, &c. id saluum velis.* 2, Fiat notatio ad Tit. Benevolentia, *Studiis prosequemur, benevolentiam complectemur.* Quod ad artificia Rhetorica, notetur primò insignis formula Apostrophes, *Te verò quem presentem intuemur.* 2, Formula insignis Protopoeia, *Parietes, medius fidius.* Imitatio fieri potest in omnibus laudatoriis & gratiarum actoriis orationibus.



RESOLVTIO EPISTOLÆ ASIATICÆ CICERO-

NIANÆ.

ANTE QUAM ad resolutionem certæ Epistolæ actedamus, prius nonnulla præcognoscenda sunt, & ex Rhetor. Syst. repetenda, quæ de Resolutione Epistolica tradidimus; id quod paucis Aphorismis faciemus.

I De Epistola resolutione perinde iudicandum est, ut de eiusdem structura.

2. SIV-

2 *Structura autem Epistola, partim naturalis est, partim artificialis.*

3 *Naturalis structura est, quam paramus natura adminiculis: sicut enim per solam naturam colloqui possumus familiariter cum presentibus, ita quoque Epistolam scribere possumus per solam naturam; cum Epistola sit colloquium familiare cum absente.*

4 *Et sanè præstaret lumen naturæ in conscribendis Epistolis sequi, cum paucis aliquot exemplis Epistolarum aptè scriptarum, quàm sectari præcepta, quæ de conscribendis Epistolis cumulatim hodie eduntur; quasi sc. quedam esset ars peculiaris quæ doceat de Epistolis scribendis. Mirum est, tales homines nobis non cedere etiam artem peculiarem, quâ discamus familiariter colloqui & congarrire cum nostris sodalibus. Hoc nimirum incommodi ex talibus libris reportatur hodie, quod homines in schola instituti, ineptas scribant Epistolas, plerunque & penitus ridiculas, si comparentur ad Epistolas mercatorum aut militum, qui solo naturæ lumine Epistolas formant. Ars enim rectè & methodicè tradita, est perfectio naturæ: contra verò ars ineptè & confuse tradita, naturæ corruptela est, & pestis, atque adeò obscuratio istius luminis, quod homo in cogitando & loquendo à natura habet.*

5 Quare & in resolutione Epistola, natura lumen sequendum erit, perinde ut in structura cum eodem lumine aliquid resoluatur quo fuit confectum.

6 Quod ad artificialem structuram Epistolae attinet, sciendum est nullam esse artem peculiarem conficiendarum Epistolarum, atque adeo nec resoluendarum, sed particularem tantum hanc esse, & quidem exiguam artis Rhetoricæ.

7 Omnis enim oratio & scriptio distinguetur in perfectam & imperfectam, atque adeo primariam & secundariam.

8 Primaria oratio & scriptio est ea, quæ proprie & specialiter in Rhetoricis, Oratio dicitur, cum nempe tractatur aliquod Thema argumenti. explicantibus aut probantibus, amplificantibus, exaggerantibus, quæ deinde argumentis disponuntur, exornantur, & actione decorata exprimuntur.

9 Ad hanc Orationem, tanquam ad scopum præcipuè refertur tota ars Rhet. tanquam ad speciem orationis perfectam.

10 Præcepta vero imperfectæ & secundariæ orationis, per omnia dependent à præceptis perfectæ orationis; ita ut is, qui perfectam orationem didicit construere & resolvere, facile & citò discere possit rationem imperfectæ orationis, siue Epistola formandæ & resolvendæ.

II Sicut

11 Sicut autem oratio perfecta, ita quoque Epistola est vel Asiatica, vel Attica, & Laconica.

12 Asiatica epistola aliter construitur quam Laconica; ideo quoque epistola Asiatica aliter resolvitur, quam Laconica: quod discrimen, ut animadverti possit, idcirco exemplum primò Asiatica, postea Laconica epistola præbendum fuerit. Sumemus autem exemplum epistolæ Asiaticæ ex familiaribus Ciceronis Epist. nempe 1. lib. 3. Si ipsa Resp. &c. Sicut autem orationis perfecta resolutio est, vel prima, vel orta, ita quoque resolutio epistolæ. Resolutio prima est vel artis vel prudentiæ. Quarum utraque refertur vel ad præcognita, siue partes externas, vel ad partes internas. Externa pars epistolæ dicitur ea, quæ non pertinet ad ipsam epistolæ tractationem, eaque est vel propior vel remotior. Propior est, quæ connectitur cum ipsa epistolæ tractatione, atque adeo ibi scribitur, ubi ipsa tractatio. Eaque initium est vel Præloquium, vel Clausula. Præloquium continet tum nomen, tum salutem. Quod ad nomen, duplex præmittitur huic Epistolæ; primò quidem ipsius causæ efficientis, siue eius qui scribit, M. Tul. Cic. ubi ad resolutionem prudentiæ hoc pertinet, nempe præmissionem nominis eius qui scribit epistolam ratione temporis tan-

tum probari, tēporis illius quo Cicero scripsit & vixit: Hoc autem nostro tempore nō esse id imitandum, sicut Lipsius etiam monet, cap. 3. Institutionis Epistolice: Olim, inquit, præmittabatur nomen eius, qui scribebat, hodie temperem ad vsum nostri æui, nec temere nomen meum præposuerim.

Alterum nomen est eius, ad quem Epistola scripta est, Appio Pulchro Imperatori: ubi etiam prudentiæ resolutio fieri debet, ut discernamus inter Epistolam separatim scriptam, & inter Epistolas varias inter se coniunctas, atque vno volumine excusas: In talibus enim nomen ipsum ad quem scribitur, ponitur in ipso Epistolæ frontispicio, ut hoc loco. Cum vero Epistola sigillatim ad aliquem scribitur, non postulat prudentia, ut nomen illud ponatur in frontispicio Epistolæ, sed ponatur in Epistola tergo, ut sic dicam: atq; ita fit pars externa remotior, quæ dicitur Inscriptio, ut in Rhetoricis definiuimus. Hodie ergo ex prudentia fuerit, nullum nomen præmittere tractationi Epistolice, sed saltem Titulum aliquem honorificum eius, ad quem scribimus.

Tantum de nominis resolutione.

Altera pars præloquii Epistolici, est salus, quæ scribitur vel expresse vel implicite. Cicero eā implicite scripsit hoc loco, initialib. literis, S. P. D.

Resolutio

Resolutio prudentiæ circa salutem ea fuerit, ut attendamus primò tempus quo scribimus Epistolam. 2. Personam quæ scribit, & personam ad quam scribimus. Temporis circumstantia interdum postulat, ut expressa salus, interdum etiam pluribus verbis præmittatur, sicut etiam consuetudo personarum scribentium. E. g. Germanorum, qui & votum & voti sui delationem præmittunt. Persona etiam spirituales plerung, hoc faciunt, & quando scribimus ad hominẽ deuotioni imprimis deditum, possumus simile quid imitari; aliàs in communi suffecerit ad marginem Epistolæ scripsisse, S. D. tanquam solennis voti notam.

Tantum de externa parte anteriori, siue præloquio huius Epistolæ: pars externa posterior, siue clausula Epistolæ, resoluetur post ipsam tractationem Epistolæ, quam nunc ordine videamus.

RESOLVTIO TRACTATIONIS EPISTOLICÆ.

PRIMO constituendum certum Thema Epistolæ: Omne autem thema Epistolicum est vel uniforme vel varium: Uniforme thema dicitur, quãdo tota epistola tantum unum thema tractat, qualis est Epist. 2. huius lib. in qua tractatur thema petitoriũ, & similes aliæ multæ. Varii them. Epistola

dicitur, in qua multa diuersa themata tractantur, quarum resolutio est difficilior; talis autem est ista, quam resoluendam sumpsimus; utpote in qua tractantur quinque diuersa Themata, nempe 1, thema explicatorium; 2, thema affectuosum & expressorium beneuolentia; 3, thema motorium, videl. insinuatorium; 4, thema postulatorium; denique 5, thema commendatorium. Quot autem themata tractantur in epistola aliqua, tot constitui debent istius epistolae partes: unde intelligi potest huius epistolicae tractationis quinque partes esse.

RESOLVTIO PRIMÆ PARTIS.

Prima pars Epistolæ habet Thema explicatorium, vt dixi, & extenditur vsque ad illa verba, *de mea autem beneuolentia*. Thema vero, quod explicatur, est Resp. siue status Reip. Romanæ. Argumentum quo tractatur thema, est testimonium Phaniæ, liberti Appii. Hoc autem testimonium Phaniæ amplificat primò ex causis istius testimonii; atque aded ex propriis Phaniæ, quæ duo sunt, *Prudentia & Curiositas*. Quod argumentum amplificatorium iterum amplificat comparatione parium; comparat enim Phaniæ testimonium cum Reip. testimonio, *Si ipsa Resp. tibi posset, &c.* Denique amplificat illud testimonium ab effectu duplici; 1, quod subleuaturum sit Ciceronem labore prolixè scribēdi: 2, quod præstiturum sit securitatem literis, quibus scilicet non omnia committi debeant. Dispositio huius primæ partis est
in aptif-

in aptissima connexione argum. explicantis & amplificantium: vbi tamen notetur velut quædam censura Ciceronis, qui à valde oratoria amplificatione orditur hanc epistolâ, *Si ipsa Resp. &c.* Annotauimus in Rhetoricis, quod tam grandes amplificationes non vsque adeò conueniant epistolis. Exornatio huius partis partim est in figuris, partim in structura periodi: Figura primò est Prosopopœia, *at fingere nimirum vocem Reip.* vbi censura Ciceronis notari potest, quod Prosopopœiæ sint grandiores figuræ, quam vt conueniant epistolis; itaque est iis moderatissimè vtendum. Altera figura est Epistrophe; similiter enim desinunt syllabæ in vocabulis, *facilius, aptius, prudentius.* Structura Periodi est quinque membrorum. Principium autem & finis est accuratior quam vt videatur competere epistolæ. Actio in epistolis resolui non potest; quia diriguntur ad absentes; interim scriptura ipsa & eius elegãtia actioni correspondet, vt in Rhetoricis monuimus, & hîc semel monuisse in sua resolutione sufficiat.

Quod ad prudentiam attinet, apparet in eo, quod Cicero nolit literis committere narratione de statu Reipub. quodque adeò molliter diffidat quodammodo Appio, cui in prouincia succedere debebat, vt in sequenti Epist. videre est.

Notatio primò sit phraseos, vbi ad Tit. Breuitatis referatur, *Id mihi ad breuitatem est aptius:* & ad Titulum Securitatis referatur phrasîs, *ad reliquas prouidentius.* Quod ad notationem Rhetoricam, notetur inter formulas locorum Epistolico- rum Tit. *Breuius dicendi,* item, *Abrumpendi,* notetur, inquam, tota ista Periodus.

Quod ad imitationem, frequenter admodum possumus hanc periodum imitari, nempe, quotiescunque scribimus per hominem certum, qui ipse possit narrare, ut non opus sit prolixè scribere; tantum caueatur ne, quod hinc est Oratorum, imitemur, sed magis Epistolicè ita stylum formemus: *Haud facile ipsa Resp. tibi statum suum disertius exponat, quam Albertus noster, qui ad te venit, &c.*

RESOLVTIO SECVNDÆ PARTIS.

In qua tractatur thema, exprimens affectum beneuolentiæ Ciceronis erga Appium; quod thema tractatur partim causis, partim effectis: *certo scito, te mihi esse charissimum*: quia sunt magnæ causæ procatarticæ, quæ me mouent ad istam beneuolentiam. Eas autem causas amplificat 1, testimonio Phaniæ, *Etsi Phaniæ possit testari de mea beneuolentia, tamen, &c.* 2, amplificat istas causas partitione, quod nempe aliæ sint absolutæ, aliæ relatæ. Absolutæ causæ sunt duæ; primò, suauitas ingenii in Appio, id est, comitas; secundò, officiositas & humanitas Appii.

Altera causa est relatæ ad Ciceronem, nempe, indicia grati animi Appii erga Ciceronem. Hanc autem causam posteriorè amplificat testimoniis: 1, priuatis ipsius Appii, *tum quod ex literis tuis, &c.* 2, publicis, nempe multorum sermonibus. Sic fuerunt causæ beneuolentiæ. Effectum unicum est, nempe officium, quod Cicero præstare cupiat Attico. Hic effectus amplificatur primò antecedentibus, vid. defectu consuetudinis mutuæ, qui antehac fuit inter Ciceronem & Appium. 2, amplificatur iste effectus, scil. officii communicatio propriis accidentibus, quæ sunt tria: 1, gratia; 2, crebritas; 3, Magni-

Magnitudo. Denique amplificat causa efficien-
te, vid. proposito & viribus suis, per quas possit il-
lud officium præstare, quã causam iterũ amplifi-
cat similitudine Mineruæ, cuius Mineruæ simili-
tudinem iterum amplificat, aliã causã efficiente
specialiori, itidem illustratã similitudine, *Quam
quidem ego si fortè de tuis sumpsero.* Atq; hæc est tra-
ctatio secundæ partis. Dispositio huius partis pẽ-
det, à connexionem eius cum parte prima. Deinde
à dispositione argum. amplificatium & explican-
tium inter sese. Exornatio est partim in Metapho-
ris, vt cũ dicit, *temporis usuram; itẽ, sarcire, &c.* Par-
tim in Allegoria de Minerua & Pallade. Exorna-
tio periodica, non vsque adeo magna est, propter
nimiã longitudinẽ periodi huius, quæ cõstat circi-
ter 8 mẽbris, ita vt in 7 membro sit parêthesis; ni-
mis aut longæ periodi nõ ita cõueniunt Epistolis.

Quod ad notationem attinet; Primò notentur
phrases: vt, *Longi temporis usuram quã caruimus, &
gratia & crebritate & magnitudine officiorum habere,*
ad T. Ethic. *Officiositatis.* Deinde inter formulas E-
pistolicas extat formula: *Affectum suum in epistolis
exprimendi;* ad hanc formulã referantur illa: *Sic. n.
tibi persuade charissimum te mihi esse, &c.* Quod ad
imitationẽ, ea fiat primò quod ad dispositionem,
vt nepe declaraturi nostrum affectũ erga aliquẽ,
imitemur dispositionẽ arg. quæ hĩc est in explicã-
do & amplificando; deinde, quod ad phrases &
formulas: longitudinem autem periodi non esse
imitandam, ante dixi.

Sequitur resolutio tertix partis, *Cilix libertus
eius, &c.* Est autem thema huius partis insinuato-
rium: agit enim hoc Cicero, vt insinuet Cilicem

libertum Appii, in fauorem Appii. Argumenta insinuationis sunt duo: Primum argumentum est à dexteritate Cilicis in offerendis literis Appii: Quod argumentum amplificatur 1, ab antecedente: *Antea mihi minus notus erat Cilix*. Secunda amplificatio est ab obiecto, sc. à literis quas obtulit, plenas amoris & officii. 3, à similitudine, quæ fuit inter sermonem Cilicis & literas Appii. Alterum argumentum est ab effectu, quod nempe Cilix Ciceroni explicarit animum Appii; quod argum. amplificatur, primò quidem à proprietate istius explicationis, quod fuerit iucunda. 2, ab obiecto, quod nempe explicauerit Ciceroni & animum Appii, & sermones, quos de ipso haberet; denique tertio, à circumstantia temporis, quod quotidie id explicauerit Ciceroni. Dispositio huius partis, constat primò connexionem cum præcedentibus, & deinde dispositionem argum. istorum duorum principalium, quæ indicauimus: quæ dispositio etsi duabus periodis distincta sit, tamen aptè & artificiosè cohæret. Exornatio primo est in Allegoria, vbi inquit: *Suo sermone subsequutus est humanitatem literarum tuarum*. Deinde est in concinnitate duarum periodorum breuium, & epistolis valde accommodatarum, ita, vt quod Cicero præcedenti periodo peccare videtur, hîc iterum corrigat. Est autem periodus prior trimembris, posterior bimembris. Prudentia Ciceronis elucet in eo, quod & sibi & Cilici simul vnâ operâ cupiat conciliare fauorem Appii. Notatio tantum grammatica esse potest, nempe istius phrasos elegantissimæ: *Sermone suo subsequi humanitatem literarum alicuius*; quæ phrasis pertinet ad
T. Ethi.

T. Ethicum *ciuitatis & comitatis*. Imitatio hinc non usque adeo magna esse potest.

Resolutio quartæ partis: quæ continet thema postulatorium, vt nẽpe Appius Phaniæ det post-hac mandata deferenda ad Ciceronem: *Quid queris, &c.* Mandatum autem illud explicatur primò per instrumentum siue causam instrumentalem, quod est Phaniæ. Et hoc argumentum amplificatur ab oppositis, siue à tacita obiectione. Cur per Phaniam tibi vis mandata explicari, cum iam modò mihi vehementer insinuaueris Cilicem. Resp. Cicero: Cilix factus est mihi familiaris biduo; quâ responsione tacitè perstringit Cilicis inconsiderantiam, qui nimis citò voluerit fieri familiaris Ciceroni: itaque se malle Phaniam, tanquam hominem grauiorem. Deinde amplificatur hoc argumentum antecedente, quod nempe eum, Phaniam nempe, Romam debeat remittere. 3, à circũstantiâ tẽporis, quod *celeriter*. Denique ab obiecto, *quod de omnib. rebus debeat scribere*.

Dispositio constat primò aptissima connexionne huius partis cum præcedente, per Interrogationẽ; *Quid queris?* &c. Deinde copulatione argum. explicantium & amplificantium. Exornatio est in figura interrogationis, *quid queris?* &c. Deinde in concinnitate periodi quadrimembris: Prudentia magna est hinc, quod Cicero innuat tacitè Appio, Cilicem esse hominem leuiusculum, cui non satis tutò mandata committi possint. Enotatio & imitatio hinc nulla est.

Resolutio vltimæ partis, quæ est commendatoria: *Lucium Valerium, &c.* Cõmendationis arg. sunt tria præcipuè. 1, arg. est à proprietate huius

personæ, quod scil. *Valerius sit Iureconsultus*: quod arg. amplificatur oppositis, vid. Iurisconsultorum quorundam defectibus, qui aliis hominibus non ita bene cauere solent. 2. arg. est à causa impellente internâ commédationis; *Valde hominem diligo*: quod arg. amplificatur causâ impellente externâ, vid. quod sit *domesticus & intimus familiaris Ciceronis*. 3. arg. est à causa impellente externa, quod nēpe Valerius bonam spem conceperit, fore vt literæ Ciceronis magnum pondus habeant. Quod arg. amplificatur 1, ab oppositis. Atqui ante iam ab Appio accepit beneficia: Resp. Cicero, pro iis beneficiis gratias agit. Alterum arg. amplificatoriū est ab alia causa impellente externa, quod vid. Cicero roget, ne Valerium ista spes fallat.

Dispositio huius partis consistit in connexione arg. tractantium & amplificantium. Exornatio est in figura Antitheseos, cum inquit: *Commendo tibi Iurisconsultum, sed ita si non est Iurisconsultus*. Periodica exornatio est in breuitate membrorum & duarum periodorum huius partis; quæ breuitas conueniens est Epistolæ.

Phrases non ita notabiles occurrunt; in Rhetoricis notari poterit formula *Commendandi*. Imitatio in Commendationibus esse potest.

Et huc vsq; etiam Resolutio vltimæ partis, atque adeò totius tractationis Epistolice: Quod ad alteram partem externam Epistolæ attinet, nempe ad clausulam, eius pars prima, perpetua nempe valedictio sola hîc ponitur: id quod imitari possumus in omnib. Epistolis, quas scribimus ad valde familiares, atque adeò ad eos, quibus sæpe & frequenter scribimus.

Et ita

Et ita dedimus exemplum Resolutionis adhibendæ in Epistola Asiatica, i. e. eâ, quæ laxiori stylo scripta est; inter quas tamen Asiaticas Epistolas certi sunt gradus, ita, ut quidam sint minus laxæ, quædam magis. Inter minus laxas hæc est, quam quidem & huius similes ex Epistolis familiaribus Ciceronis seligere oportet, easque potissimum imitari, omiſſis ceteris nimium laxis. Consequens est ut Epistolam aliquam Ciceronis magis Laconicè scriptam, resoluamus. Sit ergo pro exemplo Epist. 3. lib. 3. ad Att. *Vtinam illum diem videam, &c.*

Resolutio partium internarum, nempe, tam præloquii, quam clausule plane coincidit cum resolutione præcedentis Epistolæ. Restat ergo, videamus solam tractationem Epistolicam. Ea atque constat duabus partibus: Prior pars est expressoria affectus tristici, atque adeo tædii viuendi. Altera pars est petitoria, atque adeo notoria affectus alieni, in Attico nempe, ut is ad Ciceronem aduolet.

Quod ad priorem partem, eius thema est, *Pœnitent me vitæ*: quod thema explicatur antecedentibus, vid. quod Atticus Ciceronem viuere coegerit, quod antecedens amplificatur opposito, siue prolepsi. Atque gratias potius Cicero debebat agere Attico, quod vitam eius saluauerit. Resp. omnino gratias ago. Dispositio est in istorum arg. connexionem strictissima. Exornatio est 1, in figura voti, *Vtinam illum diem videam*. deinde in summa breuitate membrorum; neque enim periodicè hinc Cicero scribit, sed per membra, ut decet in Laconicis Epistolis.

Prudentia in eo est, quod Cicero indicet tædium vitæ, & tanto citius Atticum ad se alliciat. Notatio phrasium nulla est: Formula autem gra-

80 INT'RODVCT. AD OR. CIC.

tiarum actoria egregia ad T. Rhetor. innotetur:
Vtinam diem illum videam, cum tibi agam gratias:
Imitatio fiat in gratiarum actionibus.

Sequitur altera pars epistolæ, quæ est petitoria.
Thema est, *Peto te Attice, ut venias Vibonem;* quod
thema tractatur tribus argumentis: Primò qui-
dem proprietate loci, *multis de causis conuerti iter
meum huc.* Alterum argumentum est ab effectu
& fine aduentus Attici, qui est, ut Cicero capiat
consilium de itinere & fuga sua. Tertium argum.
est ab opposito: *Si id non feceris, mirabor:* Quod
argumentum amplificatur alio opposito; *Confido
te esse facturum.* Dispositio admodum conueni-
ens tractationi tam affectuosæ: siquidem subito
& arcte omnia nectuntur, cui tamen connexioni
nonnihil derogat cõiunctio, *sed*, bis repetita; quæ
repetitio, etsi nonnihil sit contra elegantiam, ta-
men, ut postea dicemus, facta est prudenter. Ex-
ornatio in figuris nulla est hîc magnopere, in mē-
bris magna est, propter breuitatem eorum, non
tamen propter initia membrorum, utpote cum
tria initia ab eadem coniunctione *sed*, ducantur:
Prudentia in eo elucet, quod ipsis initis mem-
brorum indicet, se valde perturbatum fuisse cum
hæc scriberet, atque adeo immemor fuerit præ
animi perturbatione; quali voce aut coniunctio-
ne antea usus esset, *sed sed, &c.* Enotatio phra-
sium nulla hîc est magnopere. Formula petito-
ria; quoad argumentum oppositorum, notetur
sub Tit. Rhetorices: *Si id non feceris mirabor, sed
confido te facturum.* Imitatio fiat in omnibus petitio-
nibus, quas instituimus in magnis angustiis. Atq;
hæc etiã Resolutio Epist. Cicetonianæ Laconicæ.

F I N I S.





Ch. 1108

Ch 1108


ULB Halle 3
004 326 261



Sb.


VD 17 201





Farbkarte #13


B.I.G.



RODVCTIO
LECTIO.
CERONIS,
RVMORATO.
fiorem & dextero-
mens ad specialem
n Systematis
hetorici.

in Gymnasio Dantiscano,
à V. Cl.

OMÆO KECKER.
sophiæ ibidem Professore.



*Henrico
Kittler*

NOVIÆ
lielmum Antonium,
MDCX.

27

legio S. Cæs. Maiest. ad decennium.

in la telegraphica pydem